VITA S. LVDGERI PRIMI EPISCOPI MIMIGARNAFORDENSIS SEV MONASTERIENSIS

VT NVNQVAM ANTEA INTEGRE EX FVLDENSI BIBLIOTHECA EDITA, ET AB AVCTORE COÆVO LITERIS mandata.

EDITORE REVERENDO PATRE CHRISTOPHORO BROVVERO SOC. IESV PRESBYTERO.



MOGVNTIÆ,

Ex Typographia Ioannis Albini.

ANNO M. DC. XVI.

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI COLONIENSI, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM Archicancellario.

PRINCIPI ET EPISCOPO LEODICENSI, HILDESHEIMENSI, MONASTERIENSI. Coadiutori Paderbornenſi Adminiſtratori Stabulenſi & Berchtergadenſi.

COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE BAVARIÆ, WESTFALIÆ, ANGARIÆ ET BVLLONII DVCI. MARCHIONI FRANCIMONTANO. Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c.

QVI pulchritudine virtutis & amore ducuntur, Princeps Sereniſsime, eius ſpecie, ornatuque, vbi, vbi, eam nacti fuerint, capi ;plurimum cernimus & delectari. Admirationes concurſusque fieri, quis ignorat, vbi adeſſe contingit, quem ſanctioris vitæ egregia commendatio, vel res domi militiæque fortiter ac feliciter pro patria vel Rep. geſtæ altius ſuſtollant aut exornent. Nam, ſi non ſuis fulta præſidiis, ſed Poetarum ingeniis adumbrata virtus in priſcis Heroibus,

roibus, ſui tamen deſiderium & amorem excitat, & ſtimulum relinquit in animis hominum; qui non germana & vera virtus, operum argumentis expreſſa pulcherrimis ad ſe nos trahat, inuitetque, faceſq; ſubijciat ad imitandum? Scite igitur, meo quidem ſenſu, dixit ille. Maius nullum eſſe ſpecimen felicitatis, quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Hoc ſcientiæ ſtudio à teneris flagraſſe, te, Sereniſſime Princeps, ex Treuerica commoratione ſuauiſſima, probè memini equidem: hodieq;, non deſungi, manifeſtum eſt: cum & ornamenta Virtutis in Sanctis admirari, eius leges & iura, in domeſticis & familiaribus requirere, in hominibus ſubiectis omnigena illius officia tueri ac conſeruare in Societate quoque noſtra ornanda, tuendaque, & amplificanda religione vniuerſa, eiuſdē multiplex edere ſpecimen magnificū & principale ducas. Quo libentius opinor, S. Ludgerum Eccleſiæ tuæ, Exēplar virtutis vnicum, à me nunc oblatum Sereniſſime Princeps accipies. In quo, vt in ætatibus, ſic quædam autoritas ſenectutis eluceſcit. Nam, vt priſci picturam prætulerunt huic variæ noſtræ, quæ paucorum eſſet colorum: ſic ego Sanctorum acta longè ſincerius oculis puto ſubijci legētium, quæ antiquiſſimorum ſtylo, ceu penicillo depicta, nullis eloquentiæ calamiſtris inuſta ſunt, ſed naturali quodam ſuo & non fucato colore, nitent. Fuldæ Anno ſalutis MDCXIV. IX. Kalend. Septembris.

Serenitatis V. iam dudum ob-
ſeruantiſſimus
Chriſtophorus Brovverus.

RITFRI-

RITFRIDVS VEL RIXFRIDVS VII. VLTRAIECTINÆ SEDIS EPISCOPVS SVB CAROLO MAGNO.

Epistola ad S. Ludgerum.

VERO sciens, quod zelum legis Dei habes; & excellentia diuinarum scripturarum in tua anima viget & floret.

IOSEPH ALCVINI DISCIPVLVS.

LVdger, amate Deo, Christi te gratia saluet.
Viue tuæ gentis Fresonum clara columna.
Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris.
Doctus in eloquio, prudens, & mente profundus.
Ipse gradum meritis ornas, & moribus almis.

DITMARVS CHRON. Lib. IV.

Luidigerus primus Mimingerdeuordensis Ecclesiæ Pastor à Carolo Cæsare effectus est; & optimè ordinata suimet parochia, & loco Wirdino ex propriis constructo impensis, anno Domini DCCCVIIII. præmium cæleste recepit.

IOANNES TRITHEMIVS de viris illust. ordinis S. Benedicti lib. III. c. XCVI. & lib. IV. c. CLXXXVII.

Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, sub

Archiepiſcopo Colonienſi Monachus S. Benedicti Monaſterij Beneuentani Vir ſanctus & Deo dilectus: tam in vita quam poſt mortem infinitis claruit miraculis. Eius corpus in cœnobio Werdenenſi requieſcit. Claruit anno Domini DCCXC. & DCCLXXX. Eius feſtum agitur VII. Kalend. Aprilis. Atque hinc ad illam diem Martyrologia.

ROMANVM.

S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, qui Saxonibus Euangelium prædicauit.

VSVARDI.

In Werdena depoſitio S. Ludgeri Epiſcopi & Cõfeſſoris, qui fuit Epiſcopus primus Monaſterienſis, tempore Caroli M. Imp.

ALBERTVS KRANTZ.

Metropolis lib. I. cap. V.

Ludgerum natione Friſium fratrem Hildegrini, Halberſtadienſis Epiſcopi, pro ſanctitate vitæ, & claritate doctrinæ, inſtitui iuſſit rex (M. Carolus) primũ Mimingrodenſis Eccleſiæ Epiſcopum. Quippe, regio Friſiorum prædicatione illuſtrata D. Bonifacij, multos iam tum habebat & miſit Chriſtianos: inter quos & Ludgerum virum ab vtero ſanctificatum; qui prædicationis ſanctæ officio tam ardenter incubuit, vt merito Saxonum Apoſtolus memoraretur & eſſet.

SAXONIÆ

Lib. II. cap. XVI.

Per idem tempus fundauit (Carolus) in loco Mimigro-

migrode in media Westphalia Episcopatum alium, cui Sanctum præfecit Ludgerum, virum incomparabili deuotione, in DEVM & religionem Christianam.

IOANNES MOLANVS
Indic. SS. Belgij.

S. Ludgerus Frisius Vltraiecti in S. Saluatoris monasterio, sub S. Gregorio successore S. Martyris Bonifacij, multum in litterarum scientia & morum probitate profecit. Primum Dauentriam adiit prædicationis causa; deinde Frisiam; vbi septem ferè annis in doctrinæ studio permansit, delubra destruens, & idola auferens. Dies depositionis est XXVI. Martij. Eleuationis XXIV. Aprilis.

INCI-

INCIPIT VITA SANCTI LVDGERI EPISCOPI.

LVDGERI merita, multifariè, ſuo DEVS pandit teſtimonio; & gloriæ & honoris, quo cum Deo fruitur, plurima ex ſignis ſalutaribus indicia conſtant; tot enim ſalutes ad eius ſacri corporis locum infirmi ſæpe reſumpſerunt, nec non, & abſentes in ſuis neceſſitatibus eius opem ita frequenter experti ſunt, vt hæc enumerari impoſſibile ſit, & ſcribendi excedant modum. Verum ex plurimis pauca, ſi quis ea noſſe voluerit, in paruo collecta habet opuſculo, quod huic codici ſubiunximus, in quo quis, vel vnde fuerit, nec non vitæ & actuum eius aliquantulam exigimus memoriam.

CAPVT I.

Quibus temporibus, & ex qua parentela, vir beatus fuerit.

D. S. S Ludgerus Freſonum & Saxonum primus Epiſcopus.

TEMPORIBVS ergo Karoli Magni Freſonum & Saxonum primus fuit Epiſcopus: harum ipſe nationum maximam partem, id eſt, Friſiæ quinque pagos, & occidentales Saxones à paganiſmo reuocans; Chriſti imbuit fide. Venerunt & prius de terra Anglorum plures homines Dei, ſpontanea pro Domini amore, peregrinatione delectari: qui exeuntes de terra, & cognatione ſua, noſtras patrias, agnitione Chriſti illuminare laborauerunt. Ex quibus fuit, eximius doctor Wilbrordus, & ſocij eius; nec non & VVinfrid cognomento Bonifacius; hi auum benedicti huius nomine Vuriſingum amicum & familiarem valdè habuerunt; à quo, & filijs eius, & propinquis, inter paganos populos plurimum in labore Euangelij iuuabantur. Idem quam pridem à Rege maligno Freſonum Radbodo, ob iuſtitiæ defenſionem, qua licet paganus impauidè oppreſſis ſubueniebat, à patria effugatus, & in Franciam pulſus eſt. Ibi religionem Chriſtianam ediſcens, mortuo impio Rege, à glorioſo Francorum Principe, ad gentem ſuam denuò remiſſus eſt; & ſuæ

Vuriſingus auus S Ludgeri Princeps Chriſtianiſmi in Friſia ſtabiliti.

patriæ

patriæ fidem Christi intulit, & ab eius primum familia Christianitatem percepit.

CAPVT II.

De genitrice eius, quæ pusiola necari iussa.

HVIVS iunior filius Thiadgrimus sancti viri pater erat: mater Liafburga dicebatur. In hac fœmina omnipotens Deus, *qui vocat quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, meritis, vt credimus, ex ea nascituri pueri, miracula misericordiæ suæ ostendere dignatus est. Habebat enim ex paterno genere auiam gentilem, quæ cum doleret filio tantum filias nasci, matrem benedicti huius, eadem, qua nata fuerat hora, aquis necari præcepit. Vnde cum iuxta crudele eius mandatum situlæ aqua plenæ, à mancipio, cui hoc erat iniunctum, immergeretur, illa brachiolis extensis, vtraque manu marginem situlæ apprehendit; & nata sub eadem hora pusiola ne mergeretur, cæpit mancipio reluctari. In hac ergo colluctatione prorsus mirabili, ex dispositione misericordis Domini, vicina mulier superuenit, & miserescens, paruulam de manu mergentis eripuit, & domū aufugiens, paruum fecit gustare mellis: nam semel gustantes aliquid infantes apud paganos necari illicitum erat. Insecuti post eam, quibus infantula cōmissa fuerat perimenda. Cum viderent se ab facto impio prohibitos, nec tamen, vt res contigit, furiosæ Dominæ indicare auderent, occultè illi mulieri eam nutriendam permiserunt; sicque, mortuâ illâ maledictâ, matri restituta est.

Thiadgrimus & Liafburga S Ludgeri parentes. *Rom c. 4.*

CAPVT III.

Item aliud miraculum de eadem.

HÆc eadem, cum iam viro iuncta sanctum puerum gestaret in vtero, contigit, vt festino gressu incedens, lapsa grauiter corrueret, & acuta sude, supra quam ceciderat, latus eius perfoderetur, ita, vt nemo putaret vel ad modicum posse eam spiritum retinere, vel puerperium non penitus periturum. Sed miro modo veloci, & inopinata salute, ipsa conualuit; & infans, post paucos dies, editus, in nullo læsus apparuit. At puer, vt primum loqui, & ambulare poterat, iam tunc, se post Deum ire, in verbis & moribus designabat; cum inutilia quæque despiceret, vanis non delectaretur, lusum infantulus non amaret: alio illi amore indito, ex patre Spirituum omnis carnis. Libros iam diligere, arborum cortices, quibus ad luminaria

Mater ex graui lapsu saucia conualescit.

S Ludgerus puer φιλόβιβλος. *c. 4 Sur edit.*

minaria vti ſolemus, colligere, illos ad ſimilitudinem librorum conſuere, cum feſtuca, & nigro quolibet liquore imitari ſcribentes.

Capvt IV.

Quomodo puer ſanctus, iuxta quod ipſe cupierat, ad diſcendas litteras Gregorio commendatus ſit, & in Traiecto monaſterio tonſuratus.

c 5 & 6. Sur.

S Gregorius Traiectenſis Abbas, & antiſtes, S. Ludgeri magiſter.

PEtiit poſt hæc parentes, vt litteris ſe erudiri facerent; at illi eius accelerantes petitionem, de cuius pio deſiderio lætabantur, commendauerunt eum cuidam Gregorio, grandium meritorum viro: qui diſcipulus, ſimulque ſucceſſor ſancti Martyris Bonifacij, Traiectenſi ſedi Presbyter, Epiſcopi vice, præerat. Sub cuius docto magiſterio, in litteris & ſeruitio Domini eruditus, tonſura in Traiecto Monaſterio acceptâ, moderatis valdè moribus, in omnium illic dilectione, conuerſatus eſt.

Capvt V.

Quod cum Aluberto ad Angliam miſſus ſit, ibique ad Alchuini famoſi magiſtri notitiam peruenerit.

c 7. Sur.

Alubertus Chorepiſcopus Traiectenſis.

VEnit interea vir quidam venerandus de terra Anglorum, nomine Alubertus, cupiens rudi partium illarum plebi, in doctrina prodeſſe. Quem, dum Abbas Gregorius libenter ſuſciperet, comperta eius cum pia voluntate ſapientia, eum ſibi Chorepiſcopum fieri poſtulauit. Quod cum ille eo modo non recuſaret, vt à proprio ordinaretur Epiſcopo, remiſit eum ad terram ſuam, ab eo, quem dixerat, Epiſcopo ordinandum; & cum eo Ludgerum, vt ibi Diaconij perciperet gradum. Nam ipſe, vt dictum eſt, Presbyter Epiſcopalem tenuerat ſedem. Eo tempore in Eboraica ciuitate famoſus merito magiſter ſcholam Alchuinus tenebat, vndecunque ad ſe confluentibus de magna ſua ſcientia communicans. Huius mox, vt illuc peruenerunt, Ludgerus familiarem amicitiam adeptus, ſpatio, quo inibi demorabantur, ad eum ſedulo de ſcripturis interrogantem acceſſit. Verum, cum ſacris ordinibus perceptis, ad eum, qui eos miſerat, redeuntes venirent, Alubertus cum Gregorio pij

Alchuinus Eboraci floret magiſterio.

S Ludgerus ordinatus Diaconus.

rio pij laborem operis assumpsit. Porro Ludgerus Alchuini desiderio & amore discendi reditum, si fieri possit, meditabatur. Quod, cum sæpius tentanti Gregorius tandem difficillimè concessisset, paratis cum eius adiutorio, & parentum suorum, quæ talis peregrinatio poscebat, remeauit Brittaniam. Suscipiens eum Magister honorabilis, magna, cuius animum nouerat, coluit caritate, tribusque continuis annis, paterna in Monachorum Monasterio sollicitudine, erudiens, quarto anno dimidio, apprime eruditum, ad patriam remisit. Ita tunc Ludgerus tam ex profectu dulcium morum, quam ex Scripturarum scientia, Magistro Gregorio acceptabilior factus, eidem postmodum patri, deuoto discipulatu, adhæsit.

Redit in Angliam ad Alchuinum.

CAPVT VI.

De eo, quod locus, vbi S. Liafuuinus, qui iubente Deo de Anglis ad prædicandum venit, requieuit corpore à paganis incensus sit.

DVM hæc agerentur, venit & alius homo sanctus Liafuuinus nomine, ex sua, id est Anglorum gente, domino vocante, adductus. Etenim referebat, trina omnipotentis Dei ammonitione terribiliter se exire iussum, vt illo in loco, & illis gentibus miseratoris nostri Euangelium prædicaret. Petijtque à Gregorio demonstrari sibi locum diuinitus commendatum. Gauisus ille de diuina clementia, direxit eum illuc, hoc est, in confinium Francorum & Saxonum, iuxta fluuium Isla, ad locum, qui dicitur Dauentre, dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei, seruum Domini Marchelmum, & ipsum ex Anglorum genere, à sancto Wilbrordo à pueritia enutritum. Ibi, cum Ecclesias construeret, & plurimos conuertisset ad Dominum, sanctam animam reddens Domino, locum illum suo honorificauit corpore. Post mortem illius, Saxones zelantes inibi collectionem Christiani populi, locum illo præda & incendio vastauerunt; combustaque Ecclesia, corpus eius dum quærerent, inuenire nequiuerunt. Ea quoque tempestate, Gregorio profecto ad Dominum, Albricus in Episcopatum successit.

S. Liafuuini Apostolatus autore S. Gregorio Traiectensi. Dauentria apud Islam Sur edit. hæc tenuiter & mutile c. 8.

B. Gregorio Traiecti succedit Albricus.

CAPVT VII.

Qualiter, Gregorio defuncto, Albricus, qui ei succeſſit, Ludgero ſuaſerit, vt ſupradictum inſtauraret locum.

S. Ludgerus Dauentria prædicans S. Lebuini corpus inuenit & Eccleſia ornat.

PORRO Albricus, magna & ſingulari caritate Ludgerum diligens, quem ſub magiſtro Gregorio pueritiæ ſodalem habuit, ſociauit eum ſibi Epiſcopalis curæ adiutorem. Hortatur eum ergo ire, & ſuper corpus Confeſſoris Chriſti incenſam reparare Eccleſiam. Paruit ille citiſſimè, & veniens ad locum, corpus Sancti reperire non valuit. Sed tamen in ſpatio, infra quod illud eſſe putauit, ædificium cæpit erigere. Nocte autem aſtitit ei in viſione ſeruus Dei Liafuuinus, dicens; Benè facis Ludgere frater, deſerta hæc reædificans; corpus meum, quod quæſiſti, ſub auſtrali pariete humatum reperies. Quod dum mane Ludgerus, iuxta quod reuelatum fuerat, inueniſſet, transuecto in auſtrum ædificio, infra Eccleſiam, honorabilem Sancto Dei poſuit ſepulturam.

CAPVT VIII.

De eo quod hortatu Albrici occidentalem Friſiam perrexerit ad deſtruenda ſana idolorum.

In Friſiam mittitur ab Albrico.

IGITVR dum illic bene cuncta diſponeret, atque multum Chriſtianis illis ſua ſolatiaretur induſtria, perrexit Friſiam, cum alijs ſeruis Dei, iubente antiſtite ſuo, ſi forte ibi ſuper fide Chriſti poſſet aliquibus ſuadere. Ibi ergò paganos aſperrimos, tantis argumentis, & tam ingenioſo moderamine mitigauit, vt ſua illum delubra deſtruere coram oculis paterentur. Inuentum in fanis aurum & argentum plurimum Albricus in ærarium regis intulit, accipiens & ipſe, præcipiente Carolo, portionem ex eo.

Aurum ex fanis.

CAPVT IX.

Quod Coloniæ Presbyter ordinatus ſit cum Albrico, cum ipſe Epiſcopus conſecraretur.

FECIT autem Albricus Ludgerum Presbyterum conſecrari, cum ipſe in ciuitate Colonia Epiſcopus ordinaretur; conſtituitque eum

queeum Doctorem Ecclesiæ in pago Ostrach; vbi sanctus Bonifacius martyrio glorificatus est, vt in Fresonum gente, vbi iam aliquãtulum Christianitatis rudis erat origo; opus Domini, quantum posset, perageret.

CAPVT X.

De eo quod vice sua Traiecto monasterio praeesset.

TRIBVS ergo per annum temporibus, vere scilicet, æstate & hyeme ibidem in Euangelizandi studio commoratus est. Porro in autumno ob custodiam disciplinæ Traiecto monasterio præerat. Etenim venerabilis antistes Albricus hanc curam inter Doctores per vices quatuor dispertiuit, vt videlicet ipse verno tempore, quando sua maximè necessaria fuit præsentia, per se administraret. Æstate vero Athalgerus, & hyeme Thiadbertus; autumno, vt diximus, Ludgerus præsideret.

CAPVT XI.

De visione, quæ illi de tribus aceruis vestium ostensa est.

ERGO dum in monasterio Ludgerus vice sua degeret, quadam nocte, finitis matutinis hymnis, dum ex secretis orationibus lassus cubitum iret, apparuit ei nutritor suus quondam, Gregorius, & cum eo solita familiaritate conloquens, frater, ait, Ludgere, sequere me: secutus est ille, vt sibi videbatur, ascendentem in altiorem locum, ibi prolatis, & coram eo iactatis quasi membranulis & vestibus, colligere ea Ludgerum in aceruos præcepit. Dum colligeret quasi tres aceruos, bene, ait Gregorius, indigentibus ista distribue; de his, tibi satis dabo; signansque eum, vt se videre videbat, signo crucis, abscessit. Cumque mane Ludgerus Haddom * monasterij præposito, & Marchelmo, de quo superius locuti sumus, somnum retulisset, statim ad hæc Marchelmus respondit. Nequaquam, inquiens, Ludgere, inane istud somnium putes. Episcopatus honore sublimaberis; tribus populis, dona Domini diuisurus es. Et ille; vtinam, inquit, in loco nunc mihi credito, aliquid vtiliter agam. Verum Marchelmus siue conijciendo, siue præsciendo hoc dixerit, ita omnia, sicut dixerat, euenerunt.

* D.S.

Visionis prolixior interpretatio c. 11 edit. Sur.

Capvt XII.

Quamdiu in occidentali Frisia prædicarit.

IGitvr per septem annos in illis occidentalis Frisiæ regionibus mansit, inter paganos, vel rudes Christianos: omni industria & sapienti labore, se agens, nouum populum deuota credulitate instituens, sicut mirifica illius gesta populi illi vsque hodie memorant, quos ab idolis conuertens, Christiana conuersatione instruxit.

Capvt XIII.

Vt B. Ludgerus Romam adierit.

Persecutio VVidukind ducis Saxonum.

INterea Saxonum Princeps Widukind persecutionem Christianis tractans, Frisiam cum exercitu se duce adijt, Ecclesias incendens, expellensque famulos Dei, Fresones, vsque ad Fleha fluuium Christi religionem relinquere compulit, & prisco erroris more viuere. Tunc Ludgerus, cedendum tempori arbitratus, maximè cum in hac tempestate Albricus antistes suus de mundo discessérit, deseruit partes illas, & assumpto secum fratre suo Hildgrimo, qui natu iunior, disciplina eius instituebatur, Romam perrexit. Illic cum Papæ Leoni indicasset itineris causam, & quia desideraret in paterna hæreditate Monasterium construere, intelligens Beatus Pontifex vel ex sermonibus eius, vel Dei spiritu reuelante, quid in se sanctæ intentionis ac studij haberet, in amore & honore illum habuit; donauitque illi Saluatoris nostri reliquias, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sociorumque Apostolorum Petri & Pauli, in quorum memoria Monasterium, quod dixerat, construeretur.

Albrici Episcopi Traiect. mors.

Leo Papa S. Ludgerum suscipit.

Capvt XIV.

Beneuenti biennium agens, à Karolo Imp. euocatur.

EXiens autem de Roma, Beneuentum petijt, vt in monasterio S. Benedicti, beati ordinis conspiceret disciplinam, possetque inibi aliquanto tempore, liberiore vacatione, quiescere. Etenim Pater illius Monasterij, genere illi propinquus erat; mansitque ibi duos annos. Cupiebat autem sancta illa hospitalitate prolixius vti, sed gloriosus Imperator Karolus eius famam audiens, prodente

Karolus suggerente

eum

eum maximè Alchuuino præceptore quondam suo, qui eo tempore de Brittannia in Franciam venit; misit semel & iterum; atque litteris Alchuuini eiusdem, ad se eum venire mandauit.

Alcuinus accersit ad se S. Ludgerum.

CAPVT XV.

Duorum monasteriorum ei optio conceditur.

CVMQVE ab eodem fuisset Imperatori præsentatus, & commendatus; duorum, inquit Imperator, Monasteriorum, optionem tibi concedo. Vnius maioris; in quo virginum multitudo consistit; alterius minoris, quod virorum est, sub Canonica regula Domino famulantium. At ille Imperiali largitati agens gratias, virorum Monasterium dixit conuenientius sibi posse committi. Dedit ergo ei Monasterium in pago Bragbante, quod Lotusa nominatur, cum omnibus ad ipsum pertinentibus.

Lotusam monasterium Brabantiæ accipit administrandum.

CAPVT XVI.

Quinque pagis Frisiæ præficitur.

HIs quoque temporibus orientalis Frisiæ quinque pagi, cum vna Insula, quæ dicitur Bant, Francorum Regno se subdiderunt, promittentes fidem Christianam se suscepturos, si erudiendis eis aliquis daretur, cuius loquelam intelligere possent. Porro Imperator hoc gratanter accipiens, Ludgero opus istud commendauit.

Pagorum nomina exprimuntur Sur. edit. c. 14.

CAPVT XVII.

Treuerensem Episcopatum à Carolo oblatum recusat.

EA quoque tempestate, deuicto, siue conuerso Widukindo, abbas quidam Religiosus nomine Bernardus, occidentalibus Saxonibus à Rege missus fuerat Doctor. Quo non multo post tempore, migrante ad Dominum, difficile in regno Francorum potuit inueniri, qui libenter ad prædicandum inter barbaros iret. Dum super his Rex Carolus sollicitus cogitaret, contigit, vt eo tempore Treueris ciuitati Episcopus inquiri deberet, obtulitque Ludgero illius Ecclesiæ Pontificatum. Respondit ille; talem Ecclesiam se

D. S. Bernardus Doctor occidentalium Saxonum.

ſiam ſe Epiſcopo minimè indigere, in qua perplures eſſent ſe doctiores & eo digniores honore. Quin potius poſſet ipſe rudibus quibuslibet melius præfici; &, ſi regi placeret, in Saxonum populo, voluntarium ſe ſubiturum laborem. Hac eius reſponſione, & voluntate, Imperator plurimum gratulatus, in occidentali Saxonum parte Paſtorem eum conſtituit; impleto ſomnio, quod ſuper tribus aceruis dudum Ludgerus viderat. Tum verò operis diuini multum auidus, ſollicito ſtudio, totiſque viribus in conuerſione gentilium inſudabat; veteris vanitatis culturas auferens; ad Eccleſias, quas erexerat, populos conuocans; presbyteros, quos ipſe venerabiles nutrierat, per loca ordinans, iucundis moribus, & humanitate plurima, doctrinam ſuam acceptabilem vſque quaque faciens, donec, Domino auxiliante, in Friſia, & in Saxonia, *pararet*, vt ſcriptum eſt, *Domino plebem perfectam*.

Treuerenſem Cathedram poſtponit Saxonum occident conuerſioni.

Luc. 1.

Capvt XVIII.

Foſcteslandiam Inſulam conuertit.

CVpiens autem & alijs gentibus Euangelium annunciare, & Dei afferre notitiam, cum Imperatoris conſilio profectus eſt ad quandam inſulam in confinio poſitam Freſonum & Denorum,* quæ à quodam Foſete, quam ſtulta gentilitas Deum æſtimabat, Foſetesland appellabatur. Cum iam, approximante naui, inſula non longè poſita conſpici poſſet, accepta in manus cruce Ludgerus, pſalmum, vt ferunt, ſexageſimum ſeptimum decantauit; *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant, & reliqua.* Ecce autem, repentè omnes qui in illo nauigio cum illo fuerant, viderunt denſiſſimam caliginem ad fumi inſtar de inſula exurgere, & deſuper glomerari; deinde glomeratam pariter diſceſſiſſe. Noſtis, ait Ludgerus ad ſocios, quia abſcedentis dæmonis eſt iſta caligo, quem modo de ſede hac dominus, iter noſtrum præueniens, effugauit. Et inſulam alacer ingreſſus, verbum Domini prædicauit. Tantam autem Deus potentiam verbis eius tribuit, vt omnes inſulanos fidem Chriſti confeſſos, in vno illic fonte baptizauerit, Foſetis fana deſtruerentur; fabricarentur Eccleſiæ. Ipſe princeps Inſulæ filium ſuum de fonte ſacro leuandum illi obtulerit, vocabulo Landricum, quem poſtea in Freſonum gente religioſum presbyterum vidimus.

Foſeteslād inſula ſitus.

* *Danorū.*

Pſal. 67.

Dæmonem ſub ſpecie caliginis ex Inſula pellit.

Landricus ex Principis Foſetesland F. presbyter.

CAPVT

CAPVT XIX.

Vt voluerit Nordmannos adire, & de eius Visione.

POST hæc Ludgerus etiã Nordmannos euangelizãdi gratia adire cogitabat. Sed dum illi Rex Karolus hoc non concederet, contristabatur ille, Dei ac proximi dilectione plenus; vel, quia salus eorum differretur; vel, quod ab illis peccata nostra punienda præsciuit: Siquidem, dum nondum Nordmannorum vllus esset metus, dicere sæpe solebat deuastationes & miserias, quæ per illorum manum perpetrandæ essent. Vidit etiam, dum esset secus mare in illo nuncupato VVerma quoddam somnium, per quod hæc mala designari intelligens, fleuit plurimum. Dum mane sermocinaretur cum sorore sua nomine Heriburga his eius plorationibus perterrita, fleuit etiam ipsa, obsecrauitque, vt sibi tantæ tristitiæ caussas ediceret. Et ille dixit. Cogitaui in hoc loco Monasterium construere; sed hoc secundum voluntatem meam nequaquam prouenire poterit; quia propter peccata nostra delectabilis hæc regio, solitudo erit; narrauitque; quia viderit in somnis quasi nubeculas nigras ab aquilonari maris parte paulatim ascendere; post modicum verò, globos crebriores sequi; deinde horribiles nubium moles pariter emergentes, rapido impetu ad solem tendere. Cui dum appropiarent, motus ille loco fugit, donec à subsequentibus tenebris cœlo fugatus, vltra videri non possit: At tunc polo nubibus tecto, horrore immensæ caliginis, vniuersi tremebant, vitæ suæ singuli metuentes. Cum diutissimè sub hac formidine habitatores terræ pauerent; en iterum ab Austro radij lucis emicant, exiliensque sol, circumfusas abegit nubes, & regrediens ad locum suum, omnes obscuritates illas ante se in Aquilonem, vnde venerant, pepulit. Et addidit, dicens; Tempus celeriter veniet, quo latrocinia & prædæ Nordmannorum, nec non & subsequentia bella in his prouincijs incipient fieri. Post hæc, iustè deserente nos Deo, & omni iucunditate sublata, terras latius occupabunt. Vtinam, inquit, Heriburg, his malis non superuiuam. Superuiues, ait, & hæc pessima oculis tuis visura es. At mihi datum est, nulla horum in corpore spectare. Sed quandoque Deus iustis his correptionibus suis finem ponet, & quæ Nordmanni alijs fecerint mala, inferentur eis. Igitur, quamdiu ipse in corpore fuit, tam secura pax erat, vt nullus super tantis malis suspicari aliquid posset. Mox aûtem sequenti, vt obierat anno, incipiebant venire, quæ prædicta sunt, & vaticinium eius mirabili

D. S.

Impeditur à Karolo magno ne adeat Nordmannos.

Vaticinium eius de Nordmannorum irruptionibus.

Heriburgæ sororis colloquium super Nordmannorum clade.

Expositio visi Sur. edit. c. 16.

D. S.

rabili experientia, iam olim probatum eſt. Speramus ergò, quia conſolatio miſerationis Dei, quam ſimul prædixerat, quando tempus miſerendi venerit, nihilominus ſubſequatur.

Capvt XX.

Cum igitur & Nordmannis, ſicut diximus, & pluribus gentibus euangelizando, &c.
Edita vita.

Capvt XXI.

Ut diuinitus illi oſtenſus locus fundandi Monaſterij nempe iuxta Ruram in ſaltu quodam qui VVideburg vocabatur.

Capvt XXII.

Ut Epiſcopus creatus in parte Saxoniæ Occidentalis.

Capvt XXIII.

Vt ab Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo coactus ſit Epiſcopatus gradum accipere. Et de miraculo Cæci in Friſia, villa Heligvverde illuminati.

Capvt XXIV.

De cæco, quem non ſponte ſanauit.

Sur edit. hic verbis conſentit c 23. ordine diſcrepat.

VERVM Ludgerus, quamuis cuncta huiuſmodi opera occultare vellet, non tamen Deo hæc reuelante vſquequaque effecit. Villa eſt in Saxonia in pago Sudergo, Alna nuncupatur. Ad hanc, dum parochias ſuas circumiens veniret, die quadam ſedente eo ad menſam, audiebatur pauper clamare foris, anxiè obſecrans, vt Epiſcopus cæcum hominem reſpicere dignaretur. Feſtinauit Diaconus, cuius id erat officij, putans vnum eſſe de pauperibus, qui ſtipem petierit, ſumensque panem & cibum, porrexit illi. Rěnuit ille accipere, aliud ſibi dicens magis eſſe neceſſarium. Deferebatur potus, ille, nec hoc ſe velle, reſpondit, nec propter ſtipem petendam veniſſe; ſed vt ante Epiſcopum intromitteretur, vt cæco homini ſubuc-

subueniret. At Diaconus non intellecto quid postulauerit, dimisso illo, in domum regressus est. Porro ille cum foris relictus iterato diu clamore vociferaretur, tandem circumspiciens Ludgerus, quare, inquit ad diaconum, tam diu vis dissimulare quod audis? qui respondit. Detuli illi cibum potumque, sed ille nihil horum curat. Nummum, ait, da ei; quod cum fecisset, & hoc nihilominus sperneretur, iussit eum Episcopus ad se introduci. Dum introductus esset, ait ei. Quid frater habes? quid est, quod expetis? Ille respondit; Fac, vt videam, obsecro te per amorem Dei; Videas, inquit Ludgerus, per amorem Dei. Et mirum in modum, cum hoc non imperando dixerit, sed tantum miratus petitionem, similia verba responderit, statim ille vidit, iussusque accedere ad mensam, lætior comedit & bibit, abijtque in viam suam.

CAPVT XXV.

Mel ei transmissum.

VENIENTE illo aliquando ad Ecclesiam in loco, qui * Billurbeki dicitur, vicina quædam mulier, natu nobilis, sed inlicito iuncta connubio, vt audiuit Episcopum aduenisse, munere præuio studuit sibi placare eũ, mittens quasi eulogium, vas testeum * pergrande, melle plenum. Quod dum ille agnoscens mittentẽ sperneret, ac suscipere dedignaretur, iuuenculi aliqui ex discipulis eius illud desiderantes, promiserunt se Episcopo persuasuros, ac de manu nunciorum, munus acceperunt. Non habentes autem alio in loco illud abscondere Episcopo iã ad celebrationem Missæ ꝓcessuro, sub altari ligneo, vndiq; obtectum linteaminibus, posuerunt. Mox autem, vt coram altari inclinatus labia oraturus aperuit, repẽtino & vehemẽti crepitu, vas mellis sub altari insonuit; ac minutatim confractũ est. Colligebant scopis mel per pauimentũ fluens, & cũ testeis fragminibus foras proijcientes, Missam deinde celebrabant Non cessauit autẽ Episcopus, donec peruersam illã copulã discinderet; insuper, & sceleris patratorem, velut incorrigibilem, de patria exturbaret.

** Billerbeki.*

** pregrande.*

Mel vase conditum effunditur diffracto vase

Hæc Sur. edit c. 21. paraphrastice & multa.

CAPVT XXVI.

De suscitato Buddone.

FEREBANT autem veracissimi viri, de discipulis eius, quod quodam tempore, dum ad comitatum pergẽs, per Prouinciales, qui Hassi dicuntur, iter ageret, per orationes eius, homo mortuus reuixerit. Qui scilicet, propter furtum caballorum Widukindi Saxonum ducis, huic morti adiudicatus sit, vt in campo, ad stipitem ligatus, iactatis in eum sudibus acutis, & lapidibus necaretur. Quod

Sur edit c. 24 verbis inhæret.

Abigens sudibus in eum ceu ad metam iactis interficitur.

tur. Quod dum factum esset, corpus exanime in campo relictum est. Veniens autem Ludgerus secus locum, & comperto, quod Christianus fuerit, mittẽs ad Windukindum impetrarit ad humandum corpus. Dehinc discerpta totius corporis membra, pallio colligi iusserit, & inferri in tentorium suum, donec humando corpori sepulchrum pararetur. Dum ad hoc ventum esset, vt elatum de tẽtorio in fossam poneretur, iuxta stante Episcopo. Efferte eum, ait, tumulo; namque illi spiritus inest. Qui dum eleuatus esset, respirare cæpit. Et iterum illatus in tentorium, oblato potu refocillabatur, ligarique iussit antistes vulnera eius, & in tempore paruo conualuit. Stat adhuc in eo loco lapidea crux in monumentum miraculi eius, ab incolis erecta, & ex nomine eiusdem viri, qui Buddo vocatus est, campus ille Buddonfeld vsque hodie nominatur.

Membratim discerptus à S. Ludgero colligitur & resuscitatur.

Buddenfeld.

CAPVT XXVII.

De sturione miraculosè capto.

PER Frisiam aliquando Euangelizans, venit ad oppidum, quod dicitur Helleri, iuxta fluuium Ladam. Tunc vocatos ad se loci illius piscatores rogauit, vt aliquem sturionem propter hospites, qui eum frequentabant, tentarent comprehendere; ita namque Thuidisca lingua hic piscis vocatur. Qui mirati, cur hoc petierit; respõderunt, tempus capiendorum huiusmodi piscium iam dudum præteriisse; & quia appropinquante iam hyeme, nullus hoc tempore vnquam audierit piscem istiusmodi comprehensum. Tamen, ait, non diffidentes, capturam hanc prouenire posse, cum Deus omnipotens omni valeat tempore præbere necessaria seruis suis. Euntes ergo, coacti precibus eius, retia fluuio immiserunt, suspicientes autem in aëra cernunt tenuem ad se nubem properare, vicinamq; diligentius intuentes, vident ingentis alitis speciem nube ferri, siue, vt plerisque eorum visum est, eiusdem piscis, quem volebant, imaginem, cum subito inter sermocinantium verba, auis siue piscis forma, è nube lapsa, tam validè in fluuium cecidit, vt vtrisque littoribus moti fluctus illiderentur. Nec mora, in eodem, quo inciderat loco, miræ magnitudinis sturionem comprehendentes, Episcopo obtulerunt. Referentibus autem eis gestum mirabile, videte & cauete, ait, ne hoc pro alicuius factum sanctitate vel meritis, putare vel narrare audeatis, sed laudemus potius bonitatem Dei, qui dat escam omni carni.

Sur edit. hic sententiam non assequuta e. d.

Sturio miræ magnitudinis.

Psal 35.

CAPVT XXVIII.

Suſpenſus mirè à patibuli ſupplicio conſeruatur.

OPPIDVM eſt in Saxonia notum plurimis, Meppea nominatum, in cuius vicinia dum antiſtes Sanctus, Friſiam pergens, deueniret, aſpexit non longè à via vulgi concilium Die Dominica congregatum. Diuertit illuc, volens cognoſcere, quæ cauſa huiuſmodi cōuenticuli exiſteret, tali die, viditque in colle, quem circumuallauerant, reo cuidam ſuſpendium præparari. Accedensque propius, affatus eſt eos blandè, poſtulans ſibi concedi hominem; aut, ſi neceſſe eſſet eum interfici, hoc eo die non facerent, magis ipſi ad Eccleſiam Miſſas audire conuenirent. Cumque nihil horum à ruſticis impetrare poſſet, contumelioſis inſuper verbis clerico inſultantibus; etenim ad ſuam parochiam locus ille non pertinebat; vix obtinere potuit, vt parumper cum homine ſuper eius pœnitentia ſe permitterent loqui. Factum eſt hoc, diſceſſit antiſtes, & homo in patibulum eſt ſuſpenſus. At vero veſpere illius diei, cum Epiſcopus itineris ſex ab eo loco milliaria peregiſſet, manens in villa, quæ vocatur Aſconthorp, en veniens homo ille quem paulo ante ſuſpenderunt, ad pedes Epiſcopi procidit, corruit, mirantibus ac ſciſcitantibus, quomodo de eo gereretur, rem taliter pandit. Dum ego, inquiens, Epiſcopo inde digreſſo ſurſum in patibulum traherer, videbam duos incredibilis decoris viros, à latere Epiſcopi equitantes, aliquandiu cum eo pariter loqui; Dehinc poſt paululum alter feſtinè rediens, neſcio quid mihi pendenti ſuppoſuit, ſuper quod firmiter ſtans, cruciatum non ſentiebam, donec diſperſis his, qui me ſuſpenderant, & ad occaſum vergente ſole, me idem ipſe deponeret. Depoſitum iuſſit ocyus iter veſtrum ſequi, & pro conceſſa vita ſacro Antiſtiti gratias agere, quam ipſe dum à fatuis contemneretur, à Domino impetrarit. Addiditque ſe nullo pacto ſcire poſſe, qualiter poſt virum Dei tantum viæ ſpatium in momento percurrerit. Ferunt & alia multa miranda, venerabiles viri de diſcipulis eius, à B. Ludgero geſta vel dicta, quæ cuncta ponere immoderatioris fortaſſe prolixitatis videbitur.

Sur edit. 6. 25. ad verbum expreſſis.

CAPVT XXIX.

Diuinitus cognoſcit locum in quo exſtruat monaſterium.

PRÆTEREA monaſterium, quod in honorem reliquiarum, quas ab Apoſtolico acceperat, olim conſtruere decreuit, vbi poſſet

D. S.

** per Nortmannos* — *VVitmund apud Islam fl.* — *Arnapa fl.* die Werff *supra Nouesium.* — S. Ludgerus *in oratione summo gelu pernoctans.* — ** MS qui VVideberg vocaretur.* — *VVerdena ad Ruram locus Monasterio designatur.*

construi, agnita maritimarum regionũ futura desolatione,* sollicite requirebat Duo autem loca construendis apta monasterijs videbantur, vnus in Withmund, iuxta fluuium Isla: alter, qui ad Cruces dicitur, secus fluuium Arnapa. Sed diuinæ præscientię voluntatem super his demonstrari sibi deuotis ieiunijs & orationib. deposcebat. Vnde dum ad locũ, quem iuxta amnem Arnapa eũ elegisse diximus, hyemis tẽpore veniret, Crucem ligneã iussit eo in loco erigi. Et ipse solus coram sancta Cruce in niue maxima, duri frigoris, & longę noctis patiens, prolixas vsq; ad lucem in oratione duxit vigilias. Proinde diuina reuelatione Monasteriũ ibi esse nõ posse cognouit, sed locum in saltu quodam iuxta fluuium * Rura fundando Monasterio, ex Deo fore præscitum. Quapropter, dum suæ viæ comitibus, quæ diuinitus cognouerat, referret, ad promissum à Deo locũ properauit, & cũ possessore eius locutus, locum illum data terra alia comparauit. Post hæc autem, cum ab occupationibus varijs liberior factus, tempus huic vacationi aptum inuenire potuit, assumptis secum, quos huic operi necessarios sciuit, ad ipsum denuo locum profectus est.

CAPVT XXX.

Vt suis precibus nemus apud VVerdenam euerterit.

** Sur edit. c. 28 nemus quoddam*

ERAT ibi * sarculum quoddam opacitate & siluarum densitate vndique conclusum; ibi fixis tentorijs mane primo arbores diruere, & locum ponendis ædificijs expurgare, si qua facultas daretur, disponebant. Quod tamen illis fieri posse omnino impossibile videbatur. Vnde & B. virum à sua intentione penitus reuocare studentes, dixerunt, incredibile prorsus videri, illum vnquam locum habitabilem fieri posse: quoniam arborum densitate, & ramorum obductione, cælum quoque ipsum absconderetur. At ille, spem suam in Domino ponens, *quæ hominibus*, inquit, *impossibilia sunt, Deo possibilia sunt.* Ita nocte ingruente cum temperius ad vigilias nocturnales surrexissent, post peractum officium se cubitum denuo receperunt. Cumque iam omnes dormire putaret, silenter exurrexit, & tentorium egressus, paululum orationis gratia secessit. Sed quia quidam clericus ex eius contubernio, nomine Thiadbald, eadem hora vigilauit, ipsum confestim foras exeuntem secutus est. Quod mox vir Dei cognouit, & paulisper quasi pro horæ inspectione substitit, Deinde tabernaculum ingressus, eum rursus obdormientem præstolari cœpit. Quod cum fieri putaret, rursus exijt. Sed eundem iterum Clericus, quem diximus, pedetentim subsecutus

Matth 19.

est. Ita

eſt. Ita ſecunda quoque vice, oratione eius intercepta, Clericum ſtratum ſuum repetere, nec ante lucem ſurgere præcepit. Ipſe quoque, vt eius curioſitatem eluderet, ſeſe cubitum recepit. Cumq; aliquãdiu expectaret, & iam neminem vigilare ſuſpicaretur, tertio exſurrexit, & egreſſus, ſub quadam ſe arbore in orationem proiecit. Verum cum memoratus Clericus, eum contra autoritatis ſuæ præceptum ſequi non auderet, & omnino quid agere vellet, explorare intenderet, papilione iuxta lectum ſuum eleuato in oratione poſitum vidit. Erat enim nox, luna & ſtellis lucentibus admodum clara. Cumq; diutiſſime oraſſet, & ſe per ſpiritum auditum à Deo cognouiſſet, tentorium cunctis, vt putabat, ignorantibus repetiuit. Mutata ilico cæli, quæ tunc erat, ſerenitas, obſcurata luna, obducta aſtra, & ventis hinc inde exſurgentibus tempeſtas nimia ſubſecuta eſt. Cadebant annoſa circumquaq; arbuſta, & cum magno licet omniũ timore, ipſa mundi elementa famulo Dei militabant. Nam cum diluculo exſurrexiſſent, videbant hinc inde eruta fundando monaſterio locum ſatis amplum dediſſe, & arbores paſſim iacentes, ſufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuiſſe. Rari quiq; frutices, & arbuſculæ minores derelictæ ſunt, quæ ab operarijs facile vel extirpari vel præcidi valerent. Vnde ſanctus Ludgerus cum die iam clara Suos reliquo operi inſtare hortaretur, eos percunctari gratulabundus cæpit, anne adhuc cælum ſe ex illo loco crederent conſpecturos.

S Ludgerus precibus aduocat ventos, queis arbusta fundi tus euertuntur. Monasterio fundando patefactus locus.

CAPVT XXXI.

De arbore quæ ſtragi ſuperfuit.

SANE ex arboribus quas intra ſpatium fundandi Monaſterij corruiſſe diximus, vna ſolum non diruta remanſit, ſub qua eadem nocte vir Dei orauit. Sub hac, ſellulâ iam luce clarâ poſitâ, ſuos ad operandum hortabatur. Ibi quidam ad eum ex eius Clericis nomine Odilgrimus, ex itinere, quo directus fuerat, venit. Quem inter mutua quæ habuerant conloquia, ipſe interrogauit, quid ſibi de illo loco videretur, vtrumnam eum monachorũ Collegio congruũ arbitraretur. At ille vultum eius ſolito alacriorem videns, in veſtra, inquit, facie video, hoc opus ſine Dei voluntate non eſſe inchoatũ: Locum iam olim à Deo electum opportuniſſimum diuino ſeruitio futurum. Qua eius reſpõſione ipſe delectatus, gratias, inquit, habe, quoniã ſecundum voluntatem meam locutus, beneuolentiã, quod ſolũ homo poteſt, tuam oſtendis: cæterũ effectus in Dei eſt poteſtate conſtitutus. Illud ſanè noſſe te volo, q; tamen alijs, me viuo, te publicare interdico, in hoc loco me diẽ Iudicij expectaturũ, & corpore exutum

Odilgrimus Clericus.

S Ludgerus in VVerdenensis Monasterij area signat locum sua sepultura

exutum me vbi nunc sedeo, monumentum habiturum. Ita clericus arborem, quamdiu ibi stetit, diligenter obseruauit. Sed cum postea, in vsum Ecclesiæ, quæ ad occidentalem eius partem construebatur, præcisa esset, lapidem in eodem loco, nullo alio sciente, pro signo infodit. Qui ibidem, cum postea sepulchrum sancto viro foderetur, inuentus & effossus est.

CAPVT XXXII.

Doctrina, victus, & cultus, ac vita familiaris.

ERAT S. Ludgerus in scripturis sanctis eruditissimus, tamque ardenter alios erudire gestiens, vt præter publicas prædicationes, quoque mane discipulis suis per se traderet lectiones, ipse nihil extra faciens, quam quod in scripturis faciendum inuenit. Cauens autem ne sibi nomen inane faceret, omnia temperatè facere curabat. Superstitiosas vestium vilitates non amauit. Simulatam in verbis & gestis corporis sanctitatem exosam habuit. Vestitus optimis, ac suæ personæ congruis vestibus incedebat, cilicium tamen ad carnem, nullo nisi familiarissimo sibi sciente, iugiter portans. Carniũ esum certis temporibus non renuit, satiatum tamen illum cibo vel potu discipulorũ suorum nemo unquam vidit. Inuitatus ab aliquib. ad conuiuium (ipse mixtim ditiores & pauperiores inuitãs) inutilis non sedit ad epulas, sed inter sermocinandum vel iocandum, opportuna semper verba captabat; quibus totas sermocinationes illas ad audientium vertebat ædificationem. Sublata autem mensa, & laudibus dictis, vix parum supersedit, sed exiens de domo illa, secretiorem cum suis ædem ad legendum vel orandum intrauit. Paupertimis quibuscunque homuncionibus miro modo erat affabilis, secundum Apostolum, omnibus se conformans & aptans, vt omnibus prodesse posset. Et dum bonos omnes honoraret, contra superbos diuites Episcopali autoritate rigidissimus erat. In angustijs positus, vel sollicitus in tractandis maioribus rebus, hoc statim exordium sumere moris habuit; Sacerdotes missas celebrare monet; religiosis viris vel fœminis orationes mandat & ieiunia; inuitat ad agapem egentes & miseros; pauperum exposcit preces; & sic in omnibus gressus eius à Domino dirigebantur. Omnem censum, qui in hæreditate eius propria, vel in Episcopio colligebatur, mox distribuere studuit, nihil omnino, præter solum necessarium vsum super augustioribus ædificiis, vel ambitiosis ministeriis, curans. Quapropter cum à quibusdam Regis primatibus quasi stirpator Episcopii criminaretur, & qui nullas ædificiorum honestates, nec ipsis

Vestitus. Cilicium.

Carnium esus.

Conuiuia.

In pauperes comis & benignus.

Rigidus in fastuosos diuites.

D.S. Perfugium in aduersis notabile.

Episcopalis frugalitas.

Sur. edit. c. 22.

necipſis Eccleſijs congruos metallorum ornatus præuidere ſcierit, glorioſiſſimus Imperator ad audientiam inuitauit. Vnde dum veniens, manſionem iuxta Palatium accepiſſet, mane primo ad eum Imperator cubiculario miſſo, ad ſuum iuſſit venire colloquium. Forte tunc antiſtes, dum conſuetudinarijs ex more pſalmis & orationibus inſtaret, dixit cubiculario, vt præcederet, ſe mox, diuino peracto officio, ſecuturum. Dum ſecundo & tertio nuncijs venientibus, ille ab incepto non moueretur opere, accuſatores eius occaſionem ſe inueniſſe læti, ex hoc ipſius facto criminationem cumulabant. Verum, dum completis pſalmodijs ante Imperatorem veniſſet, dixit Imperator. Quare noſtrum mandatum ſic difficile accepiſti, Epiſcope, vt tot accerſitus nuncijs ſtatim venire deſpiceres? Quia, inquit, Deum, & tibi, O Rex, & cunctis hominibus præponendum arbitrabar, hoc enim ipſe mihi præcepiſti, curam Epiſcopalem committens, idcirco à tuis, licet vocatus nuncijs, Omnipotentis ſeruitium intermittere, inconueniens iudicaui. At mox, diuino peracto obſequio, paratior ad Regis imperium veni. Quod reſponſum eius Imperator optimus veneratus, Gratias, ait, habeto, Epiſcope; quia talem te modo reperio, qualem antea æſtimabam. Fuerunt autem aliqui, qui facta bonitatis tuæ, maleuolè apud me interpretati ſunt; Sed hos deinceps minus gratos habebo, & nullius verba ſuper tua criminatione me vlterius acceptu-rum ſpondeo.

S Ludgerus euocatur ad Carolũ Magnum.

Pſalmodiã praefert Imp Colloquio.

Reſponſum ſapiens Carolo datur.

CAPVT XXXIII.

Quam religioſe vir ſanctus diuina officia peregerit.

PORRO, quia Sanctorum officiorum incidit mentio, narrant, quod dum ad opus Dominicum vir Dei inſtaret ineffabiliter, timorata intentione fixaque mente manſerit. Aliquando dum in itinere eſſet, lectus illi ad vicinum focum conſtruebatur. Vnde dum noctu ſtans iuxta lectum matutinas laudes cum Clericis caneret, eiectis cinere prunis fumus euaporans in faciem illi exalauit. Ille quaſi nihil ſentiens, immotus mente ſtabat & corpore. At vnus ex Clericis auferre hoc volens incommodum, curuato genu carbones detegit, & inſufflans ſopitos ſuſcitat ignes. Mane autem vocans Clericum diſtricte ſciſcitatus eſt; quare huius mentis fuerit, vt ſacris hymnis dimiſſis, ſe potius incuruauerit ad conſtruendum focum: Et pœnitentiam aliquot dierum illi iniungens docuit Clericos dum ad opus diuinum aſſiſtitur, omnes occurrentes cogitatus

Sur edit. antevertit c. 27.

Inter orandum non ſinit aliud agi.

amouendos, & quantum cordis humani fugacitas patitur, nihil aliud cogitandum.

CAPVT XXXIV.

De aduersa eius valetudine, & beato transitu.

Aeger nihil solitæ pietatis omittit, quotidie sacrificans.

CVMQVE appropinquaret hora eius exitus, imo retributionis dies, aliquanto ante obitum suum tempore infirmari cœpit: non tamen à solita desciuit psalmodia, vel quotidianum per se Deo offerre sacrificium, in tota penè hac infirmitate omisit.

Annunciat suis Euangelium.

Coasfeld Billurbeki & Bilrebeche.

Prædicit mortem & in VVerthina sepeliri se iubet.

Dominica die quæ suæ dormitionis præcesserat noctem, quasi valefaciens gregi suo in duabus Ecclesijs inter se non multum distantibus, commemorans, quæ docere solebat, publicè prædicauit. Mane primo; in loco qui dicitur Coasfeld missam canente presbytero. Hora verò tertia in loco, qui Billurbeki nominatur, ipse per se vltima ibi missarum sollemnia celebrans. Posthæc, recedente populo, affatur discipulos; scitote, inquiens, charissimi, instante nocte me ex seculo migraturum: proinde corpus meum ad locum, quem in Vuerthina fundaui, deferte, & foris Ecclesiam, in parte eius orientali humate. nam multum hoc vetare erat solitus, vt in Ecclesia humanum corpus sepeliretur; & adiecit, dicens. Noui populum, ne hoc fiat, omnimodis contradicturum, sed facite vt delatum ad Ecclesiam Mimigernafordensem interim inhumatum seruetur, donec ad fratrem meum Hildigrimum mittatur, & ipse agat, vt Imperatoris, iussu, ad memoratum locum perducatur. Porro Imperatorem hoc fore permissurum, ex hoc signo noueritis; quod post mortem meam sanguinem ex naribus meis profluxisse reperietis. Factum est, vt dixerat; illaque nocte, astantibus discipulis, obijt.

Mimigernafordensis iam Monasteriensis Ecclesia.

CAPVT XXXV.

De lucis splendore, quæ in eius obitu passim emicuit.

STATIMQVE pius Dominus consolationis suæ ostendere dignatus signum. Namque ex eo quo obierat loco, visus est veluti splendentis ignis fulgur subito emicuisse, quod diurnæ lucis claritate totam illam prouinciam illustrauit, ac in sublime conscendens, ipsum conspiciebatur cœlum intrasse. Videns hoc venerabilis iuuenis, nepos sancti viri Gerfrid, dum audita eius infirmitate ad

Gerfridus

ad eum properaret, intellexit, ex signo ascendentis lucis, animam eius cœleste iam regnum petisse; & quod reliquum erat viæ, cum velocitate peregit. Vidit quoque hoc & mirandus Imperator Karolus, qui eo tempore in Aquis palatio moratus est. Eadem namque hora pro inspectione siderum cum Alcuuino, à quo Astrologiam didicerat, fuerat egressus. Sed quid significaret, mansit ignarus. Postmodum verò, dum veniens ad comitatum Gerfrid, de transitu eius Imperatori indicaret, de luce quoque, quæ visa fuerat, non celauit. Porro Imperator de die & hora diligenter interrogans, ipsum eo momento de seculo migrasse comperit, qua lucem illam cum Alchuuino aspexit.

nepos S. Ludgeri lucē aspexit.

Item Carolus Imper. & Alcuuinum Astrologia gnarū.

CAPVT XXXVI.

Vt VVerdinam sacrum eius corpus deportatum sit.

IGITVR discipuli memores qualiter præceperit, vt in Werdina corpus suum conderetur, super hac re populo, vt hoc consentiret, persuadere cœperunt. Sed dum populi præ amore illius nequaquam paterentur eum in aliam parochiam transferri; consilio inito inter vtrasque partes, consensum est, vt ad Mimigarnafordensem Ecclesiam transferretur, & vsque ad Hildigrimi præsentiam, qui Cathalaunensis Ecclesiæ antistes fuerat, in Ecclesia Sanctæ Dei genitricis Mariæ, inhumatum relinqueretur. Factum est hoc; & in eadem Ecclesia cum magno honore seruatum est, quoadusque Hildigrimus, mandato Imperatoris accepto, vt in loco, quo viuus desiderabat, sepeliretur, ad locum, quo frater inhumatus seruabatur, die post obitum eius fermè trigesimo secundo perueniret. Miraque res facta est, vt corpus Beati viri, tanto peracto temporis spatio, non solum sine aliqua corruptela durauerit, sed etiam iucundi odoris fragrantiâ omnes, qui aderant, mirificè repleuerit. Addito etiam hoc miraculo, vt secundum signum, quod prædixerat, ex naribus eius sanguis emanasse, inuentus sit. Elatum ergò ab Ecclesia, honorificè comitantibus populorum agminibus, perductum est ad locum quo condendum fuerat, & iuxta iussum viuentis, foris Ecclesiam conditum.

Hildigrimus frater S. Ludgeri Catalaunensis Episcopus euocatur.

S. Ludgerus ex Mimigarnafordensi S. Mariæ Ecclesia 32. die obitus transfertur VVerthinam.

CAPVT XXXVII.

Annus & dies obitus eius.

OBIIT Sanctus Ludgerus Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo nono, septimo Calendas Aprilis, & sexto Calendas Maij depositus. In quo loco scilicet eius merita vsque hodie per varia sanitatum miracula diuinitus affirmãtur, præstante Saluatore omnium IESV Christo, cuius Sacrosanctis locus ille beatificatur reliquiis. Ad quas reliquias venerandus antistes Hildigrimus, Sancti Ludgeri germanus, nec non & Gerfridus nepos eius atque successor, pio confugio se sepeliri iusserunt, & ad illam hæreditatem, quam Beatus Ludgerus ad illas reliquias satis amplam tradidit, locum illum sua hæreditate amplificauerunt. Ibi Domino Omnipotenti laus sit, honorque iugis.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

IN-

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

QVIA ſuperiori libello vitam atque miracula Sancti ac Beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Ludgeri ſtrictim percurrimus, nunc ea breuiter attingamus, quæ poſt Sanctum eius obitum diuina per eum gratia operari dignatus eſt. Nam Sacroſancta illius merita cunctis hincinde ad ipſum confluentibus pro ſingulorum fide ſuffragari non ceſſant, quibuſdam quidem longè manentibus, quibuſdam ad eius venerabilem memoriam degentibus, quibuſdam quoque ad eius ſepulchrum meantibus, vel inde domum regreſſis. Vnde curſim, vt diximus, aliqua de his, quæ vel ipſi oculis noſtris perſpeximus, vel fidelium relatione comperimus, quanta poſſumus veritate perſtringamus.

CAPVT I.

Vt Irmingerus cæcus ſanatus ſit.

FVIT quidam in pago, quod Nordgoa vocatur, nomine Irmingerus, qui Sancto Ludgero iuuentutis ſuæ tempore ſeruiebat. Hic lumen oculorum amittens tredecim annis continuis in cæcitate permanſit, ſed tanti viri ſeruitorem diuina pietas diutius noluit eſſe ſine luce. Quadam ſiquidem nocte B. Ludgerus ei per viſionem apparuit, & eum nomine proprio vocans interrogauit, ſi vigilaret. Quod cum ſe facere dixiſſet; Vade, inquit, dic Domino tuo Diudoni, vt te ad Eccleſiam faciat perduci, quam in Vuerdina Domino fabricaui, vbi corpus meum ſepultum eſt. Quo cum perueneris, & coram tumulo meo Dei miſericordiam imploraueris, priſtinam ibi oculorum recipies lucem. Deinde manu ſua, vt ſibi videbatur, faciem eius tangens ne, inquit, dubites me tibi vere apparuiſſe, cognoſcas in loco, quo te nunc teneo colorem cuti reliquæ diſſimilem fore. Ita expergefactus Domino ſuo viſionem per ordinem narrauit, & ſignum quod vultui ſuo impoſuerat, oſtendit. Mira res, colorem in eo loco cuti reliquæ iuxta verbum viri Domini diſſimilem omnibus diebus vitæ ſuæ permanſiſſe. Tunc Dominus eius, ex ſigno, quod oſtenderat, ſomnium verum eſſe cognoſcens, vnà cum coniuge ſua, ad memoratum locum perrexit; & ipſum ſecum ad-

Gerfridus S. Ludgeri successor. duxit. Et, quia eo tempore ibi Gerfrid sancti viri nepos simul & successor, cum fratribus & monachis fuit, ipsis cuncta quæ mandata & gesta fuerant, narrauerunt. Vnde eundem Irmingerum in præfata Ecclesia nocte insequenti manere fecerunt; in qua cum vigilasset & orasset, continuò per Dei gratiam pristinum oculorum lumen ipsa nocte, secundum verba viri Dei, plenè suscepit.

Capvt II.

De Paralytica & alia quadam ægra matrona sanata.

Eadem nocte quædam etiam paralytica coram sepulchro sancti viri posita, eius opem supplici voto postulauit. Nec mora, repente sanitati pristinæ restituta est.

Sudergo pagus. In pago, quod Sudergo appellatur, matrona quædam nomine Siburg colonum habuit vocabulo Ricmoldum. Huius vxor longa ægritudine depressa, sine aliqua spe recuperandæ salutis iacebat. Cum igitur nocte quadam, inter ægra suspiria, paululum membra defessa laberentur in somnum, vidit in somno quendam sibi præcipientem, vt cum Ludgero Episcopo loqueretur. *S. Ludgerus se offert videndum.* At illa, vt postea narrare solebat, nec grauiter dormiens, nec perfectè vigilans, vidit illum stantem ad orientem versum. Cumque illum reuerentiæ eius intuitu alloqui non præsumeret, ille ad eam conuersus; probaui, inquit, patientiam tuam, proinde, vt cæpisti, patientiam habeto, & Dominus curabit te. Qua visione completa, tantum vigorem corpus eius accepit, vt penè ab ea, memoria prioris molestiæ tolleretur. Ita facto mane, læta surrexit, & suæ restaurationis modum enarrauit. Vnde vir eius, & filij cum familiola quam habebant, congratulantes, & Dominum benedicentes, deinceps cum gratiarum actione, viri Dei consueuerant visitare sepulchrum. *Baptismi gratia mulieri conciliata.* Nec multo post eidem mulieri reuelatum est, quod sacro non esset baptisma te abluta; Et eiusdem veritate reuelationis comperta, sancti baptismi gratiam suscepit.

Capvt III.

De Puella sanata.

Igo Presbyter à S. Ludgero educatus. In eodem pago, quidam Bertricus fuit, qui colonus quondam fuerat presbyteri nostri Igonis, quem sanctus Ludgerus nutrierat. Hic filiam habuit adulescentulam paralysis doloribus affectam.

fectam. Qui cum famam ſignorum, quæ ad ſancti viri tumulum fiebant, comperiſſet, ſpem reſtituendæ ſanitatis puellæ, Beati Confeſſoris virtute & meritis, concepit. Itaque eam ad ſacrum illius corpus perducere intendit. Cumque iam in via poſiti eſſent, & eandem puellam frater ſuus coram ſe in ſagulo eques ferret, repente dolore omni quo prius tenebatur, diſcedente, ſanata eſt. Quod cum fratri retuliſſet, deponi ſe orauit. Quo ſecundum eius ſuggeſtionem facto, virtute Chriſti & meritis ſui ſerui, tam perfectè curata apparuit, vt non ſolum ambulare, ſed etiam currere poſſet. Ita quæ ad illum vſque locum membris omnibus debilis aducta eſt, ad memoratam B. Ludgeri memoriam ſana & incolumis peruenit. Aderant ſuæ ſaluationis teſtes pater & frater; aderant nonnulli alij, quos ſuæ viæ comites, & huius miraculi teſtes habuerunt. Itaque oratione, ac gratiarum actione completa, domum cum gaudio reuerſi ſunt.

CAPVT IV.

De Hilderado Diacono ſanato.

QVIDAM in noſtro Monaſterio Diaconus Hilderadus vocabatur. Hic dum adhuc ſcholaſticus eſſet in infirmitatem incidit. In qua cum diu laboraret, ita neruis contractis poples eſt curuatus, vt tibia eius femori iungeretur. Cumque poſt longiturnæ ægritudinis fatigationem fugatis doloribus, conualeſcere cæpiſſet; tibia eius curuata vt fuerat, permanſit. Vnde in ambulando ſuſtentatione baculi per dies plurimos vtebatur. Proinde pater eius nomine Sigibertus, qui in eodem iam tunc Monaſterio Monachus erat, tractare cum fratribus cæpit, ſi aliqua medicorum curatione contracti poplitis nerui relaxari quiuiſſent. In qua æſtuatione cum aliquandiu manſiſſet, quadam nocte Sanctus Domini Sacerdos Ludgerus eidem Scholaſtico Hilderado per viſionem apparuit, ac veſte ſacerdotali & cidari quam in capite geſtabat, coruſcus. Vide, inquit, ne pro crure debilitato, carnalem alicubi medicinam quærere præſumas. Quod ſi feceris, & meum mandatum contemnendum putaueris, non ſolum medicaminis ipſius nullam curationem recipies, ſed etiam præuaricatorum pœnam incurres. Deinde pro animi leuitate ac puerili mobilitate eum vehementer increpans, abſceſſit. Mane autem facto; quæ viderat, fratribus narrauit. Et cum die eodem, peractis veſpertinis laudibus, domum infirmorum, in qua ei priori nocte vir ſanctus apparuit, intraſſet, cernẽtibus cunctis qui aderant, non caſu, ſed nutu diuino extemplo ad terram

Scholaſtici gradus in ord. S. Benedicti.

S. Ludgeri apparentis ſpecies.

Tibia mirè sanata. ad terram corruit: Cumque in ipso lapsu neruorum sonitus audiretur, ac si illic sicca sarmenta frangerentur, eius tibia sine aliquo dolore erecta est. Et surgens continuo sanus, non solum suæ salutis recuperatione, sed & emendatiori & maturiori deinceps vita, vt admonitus fuerat, verè sibi sanctum Ludgerum apparuisse probauit.

CAPVT V.

De cæca illuminata.

PVELLA quædam nomine Modsvvith lumen oculorum amittens, anno integro tanta est cæcitate depressa, vt nec extrema quidem frui visione valeret. Cuius parentes cum audissent, quanta Dominus per seruum suum Ludgerum in morbidis curandis fecisset, eam ad Ecclesiam VVerdinensem perduxerunt. In qua cum, accepta licentia, vna cum filia ante sepulchrum egregij Confessoris noctem in oratione transegissent, puella illuminata est.

Siquidem mane facto, cum lux paulatim per fenestras irradiare cœpisset, primum quidem se proprias posse manus videre, deinde sensim lumine crescente, clarè se omnia cernere & dixit, & probauit. Atque ita, gratiarum actione persoluta, domum cum suis reuersa est, & illuminationis donum quod acceperat, tota ætate permansit.

CAPVT VI.

De quadam à Dæmonio muto liberata.

EODEM ferè tempore quædam puella ad memoratam Ecclesiam perducta est, quæ à Dæmonio inuasa, & sensum simul perdidit, & loquelam. Quæ, vbi limen Basilicæ tetigit, statim ab ea spiritus immundus abscessit. Ita post eius discessionem linguæ quoque officio reddito, muta locuta est. Et quia tempore vexationis vix aliquid cibi percepit, primo quidem famem se pati dixit; deinde, qualiter illuc aduenerit, percunctari cœpit. Cui cum mater miserabilem vexationem ipsius ex ordine retulisset, prostrata ante sepulchrum S. Ludgeri; Saluatori omnium Christo gratias egit, qui ipsam per serui sui meritum, de tam crudeli peste liberare dignatus esset. Et accepta pro actis suis pœnitentia, domum incolumis repedauit. *Exomologesis.*

CAPVT VII.

De Paralytico curato.

IVVENIS quidam Helidvvini nomine paralysin incurrit. Qui cum multis

multis diebus omnium membrorum officio destitutus, in lecto decubuisset, non solum brachium ei dextrum, morbo per momenta ingrauescente incuruatum obriguit, sed & sinistra ei tibia contracta femori adhæsit. Cætera, vt diximus, membra omnino immobilia ad doloris potius augmentum, quam ad aliquem vsum, licet non contracta, habebat. Vnde, & cum ingenti dolore foras, cum opus erat, efferri solebat; linguam solam, cætero corpore præmortuo, vtcunque adhuc mouere valebat. Proinde, cum diu in hac molestia laboraret, quadam die sororem suam, quæ præ cæteris, eius compatiebatur dolori, allocutus est, dicens. Audiui de sancto Ludgero, quantas per illum Dominus infirmantibus sanitates præstare dignatur, in loco vbi sancta illius mēbra tumulata quiescunt. Quocirca peto, vt me foras efferri, & contra viam, quæ illuc ducit, facias poni, vt me voueam illi seruiturum, si eius forte meritis mihi Dominus sanitatem donare fuerit dignatus. Quod cum factum esset, in ipsa statim nocte, præstante diuina clementia, & dolor quem habebat, conquieuit, & præter tibiam sinistram, quæ, vt erat, contracta permāsit, omnia ei corporis officia restituta sunt. Vnde, cum peracta gratiarum actione indubitatam de perfecta sua saluatione spem concepisset, rogauit Dominum suum corporalem, vt ad memoriā beati Cōfessoris Christi sepulchrum se perduci iuberet. Quod cum ille fieri probauisset, & tamen ei aliquod adiumentum, vt fieret, facere distulisset, is, quem necessitas vrgebat, baculo debilem tibiam sustentante ad locum prænominatum peruenit. Erat hoc quinque diebus ante annuam sancti Ludgeri solemnitatem. Cumque ipsam ibi expectasset, & in ea porticu, quæ est ante basilicæ ianuam, & sancti sacerdotis ambit sepulcrum, ipsa nocte membra sopori dedisset, Beatus ei Confessor magno lumine, atque Clericorum obsequio comitatus, per visum apparuit, & membra illius tangens, abscessit, in sopore ipso relicto. Post cuius discessionem, dum mox signa ad nocturnas vigilias sonarent, & his ipse expergefactus esset, sanus surrexit, & oblitus baculi, priorisque molestiæ & debilitatis, vna cum alijs lætus & incolomis tēplum intrauit. Oratione autem expleta, recensuit vniuersa quæ erga se diuinitus per sancti Confessoris meritum gesta fuerunt. Proinde peracta operis diuini celebratione, egressus, baculum suum in ingressu eiusdem basilicæ, in loco, vbi sanatus fuerat, pro signo & memoria suæ curationis infixit. Nec immemor suæ sponsionis, precio se à temporali Domino suo redemit, & votum seruitutis impleuit.

S. Ludgeri sepulcrum VVerthinæ porticu septum ante basilicam.

Paralyticus mancipat se S. Ludgero.

CAPVT VIII.

De eius annua solennitate quid diuinitus indicatum sit.

VERVM, quia semel ad hunc locum deuoluti sumus, & de annua eius festiuitate mentionem fecimus, quid de ea ferianda diuinitus sit ostensum, breuiter euoluemus. Dindo, de quo supra locuti sumus, magnũ ad sanctum Ludgerum amorem, mirã circa nostrum locum reuerẽtiam habebat. Vnde annis singulis ad nostrum Monasterium venire & Beati viri memoriam frequẽtare, & aliquot dieb. cum nostris manere consueuit. Sed ne crebrior eius accessus fratres grauaret, suos cũ annona homines, qui suis suorumq; vsibus necessaria pararẽt, præmittere solebat. Quod dum quodam etiam tempore secundum cõsuetudinem suam fecisset, contigit natalitiũ sancti Confessoris diẽ superuenire. Et quia hoc in primis dormitionis eius annis erat, necdum sacrosancta eius sollemnitas feriabatur. proinde, cum die eodem, illi quos adhuc præmissos esse diximus, ceruisa* paranda instarẽt, ligna quæ in ignẽ missa fuerant, instar stipularum in momento consumpta sunt. Deferebantur alia post alia, sed igni immissa, durare aliquandiu nequibant. Iam propè erat, vt se sine effectu laborare videntes, labori succumbere, & opus intermittere cogerentur. Perstabant tamen donec ceruisæ vtcumq; confectio cocta, in alia essent vasa transponenda. Cumq; ad hoc ventum esset, vt in vase ad hoc parato, aqua super spargi deberet primo quidem omnino nihil decurrere quiuit: Deinde, cum iam nõ manu, vt assolet, sed situlis aqua superfunderetur, raris stillis parum aliquid stillare cœpit. Hoc quoq; ipsum, quod ita collectum est, gustu amarum, & omnino ad nihil vtile foras eiectum est. Ita euidenti inditio claruit, hunc de cætero à nostris diem esse feriandum.

** Ceruisia.*

Ceruisia feriis S. Ludgeri coqui non potest.

CAPVT IX.

Item de ferianda eius solennitate aliud miraculum.

ALIVD nihilominus super eadem re miraculum diuinitus factum est. Siquidem, cum annua reuolutione iterum natalitij eius celebritas superueniret, nec sine Episcopi iussu, ad cuius diocesim noster Locus pertinebat, feriatio præcipi posset; fratribus nostris visum est, vt cum nostris hominibus feriaretur, cæteris suo arbitrio vtrum facere an dimittere vellent, derelictis. Proinde cum plurimi ex vicinis nostrorum exemplum secuti, feriandum putarent, nonnullis opus suum intermittere, indignum videbatur. Et, quia

quia vernum tempus erat, & arandi opera instabant, iunctis bubus foras ad arandum processerunt. Cumque iam operi insisterent, ferrum, quo arari debuerat, singulis confractum est, Quod dum singuli aliis quasi sibi soli accidisset, retulissent, non casu sed diuina voluntate, ob sancti diei violationem hoc gestum fuisse, generali omnium claruit damno. Erat tamen quidam Benno inter nos, qui méte obstinata adhuc operi instandum putaret. Qui, cum aratro vtcumque emendato crebris stimulis boues ad arandum impelleret, illi insania efferati, disruptis loris & iugis cum aratro abiectis, siluas petierunt, nec omnino ante capi potuere, quam ipse cum reliquis ad S. Ludgeri memoriam veniens, suæ temeritatis & contemptus culpam coram fratribus confessus esset, & orationem eorum pro se supplex impetrauisset.

Vomeres inter arãdum sponte confracti.

Hic definit Edit. Sur.

CAPVT X.

Mulier cæca curatur.

QVÆDAM de Saxonia fœmina ad eandem Ecclesiam perducta est, quæ luce oculorum aliquandiu priuata fuit. Itaque coram sepulcro famuli Dei posita, eius se meritis saluari & orauit, & credidit. Cumq; missarum sollemnia agerentur, hora Euangelicæ lectionis amissum repente lumen recepit, & gratiarum actione peracta, ad sua incolomis reuersa est.

CAPVT XI.

Adolescens cæcus item lumen recipit.

QVIDAM itidem in pago quod Borothra dicitur colonus nomine Folcbald, filium habuit cæcum vocabulo Gerbaldum. Qui, cum per multa sacra loca esset deductus, nullã omnino medelam consecutus est. Verum, cum fama virtutum, quę de S. Ludgero ferebãtur, ad eorũ notitiam peruenisset, qui eius ꝓximi habebantur, spẽ recuperandæ lucis eius meritis concepere. Proinde eũ foras educentes, & contra viã, quæ ad eius Ecclesiam ducit, statuentes, deuouerũt se illum ad sacrosanctũ eius sepulcrũ cum oblationib. adducturos. Vix votum parentes cõpleuerant, cum puer repente mirabili celeritate illuminatus est. Nã lacrymis ex oculorum hirquis erũpentib prius quidẽ dextrũ oculum tersit, quo cũ mox aperto clare videre cœpisset, tersit & alterũ. Et eo similiter reserato, ꝑfectè visum recepit. Quo agnito, parentes imẽso cum familiola gaudio repleti, Dominũ benedixerũt, qui puerum prius sanauit, quam ipsi vota sua cõplessent. Vnde promissa sine aliqua dilatione adimplentes, ad memoratam

Borothra pagus vulgo Barch.

Ecclesiam perduxerunt,& cum voto gratulationis eum nulla pristinæ cæcitatis vestigia in oculis habentem designauerunt.

Capvt XII.

Sanatur cœcus.

Amaloh vulg. almeloij.

ALivs quoque cæcus nomine Egilwaldus de loco qui Amaloh vocatur, ad sancti viri tumulum perductus est. Vbi dum prostratus iaceret, & beatum sibi Confessorem subuenire oraret, integrum repente, Domino largiente, lumen recepit.

Capvt XIII.

Cæcus illuminatur.

QVidam quoque Ricbertus, itidem cæcus ad eundem à suis locum adductus est. Qui cum coram sancto beati viri sepulcro orasset, tam perfectè domino miserante illuminatus est, vt qui aliorum illuc venerat ductu, viæ vlterius non requireret ducem.

Capvt XIV.

Dæmonium mutum expellitur.

QVidam de Frisia iuuenis nomine Osbertus, à dæmonio inuasus, sensum simul perdidit & loquelam. Is à patre suo per diuersas Ecclesias ductus, in nulla earum curationem recepit; quia eum Dominus per seruum suum Ludgerum sanare decreuit. Itaque pater eius cœlitus inspiratus, longo admodum itinere peracto, ad Werdinensem eum tandem Ecclesiam perduxit, & accepta à custodibus licentia, ante sepulcrum Christi sacerdotis nocturnum tempus in oratione peruigil ducens, secum eundem filium suum habebat. Cui per misericordiam Dei statim Dæmone expulso, & loquela reddita est, & sensus.

Capvt XV.

Adolescens à maligno spiritu liberatur.

Cobbo venerabilis Comes.

COBBONIS venerabilis quondam comitis colonus quidam in Saxonia, adolescentem filium habuit, nomine VVarmundum, quem malignus spiritus inuasit, & tam vehementer vexare cœpit, vt vita eius ad desperationem perduceretur. Cuius mater, cum hoc dominæ suæ vxori scilicet Cobbonis sollicitè per nuncium indicare studuisset, illa ei confestim mandauit, dicens, si adhuc filius tuus

viuit,

viuit, fac eum foras celeriter efferri, & statue contra viam quæ ducit ad Ecclesiam, vbi sanctus Ludgerus est sepultus; atque ad sacrū eius sepulcrum te eum Domino fauente adducturam, promitte. Credo enim, si hoc feceris, eiusdem famuli Dei meritis, eum à Domino esse sanandum. Quod, cum mater pueri iuxta mandatum Dominæ suæ deuoto corde fecisset, mirum dictu, eodem momento, dæmone expulso plenam in eodem loco sanitatem recepit. Deinde secundum sponsionis suæ votum, ad memoratum viri Dei sepulcrum sanus à matre perductus, & domum itidem sanus reductus est. Atque in eadem quam acceperat sanitate, toto vitæ suæ tempore, domino largiente permansit.

CAPVT XVI.

Mulier ad sanam mentem reuocatur.

QVIDAM de villa, quæ * Sosat appellatur, Aldricus vxorem habuit nomine Herisuidam, hæc mente perdita septem annis continuis sine sensu permansit. Sed quotidie fama virtutum, quæ per sanctum Ludgerum fiebant, crescente, ad eius memoriam à viro suo perducta est. Quæ cum licentia à fratribus accepta, in crypta vbi sanctum eius corpus requiescit, poneretur, & sui pro ea peruigilem in oratione noctem transegissent, eum sibi in sopore assistentem vidit, ignea quodammodo specie, & incredibili claritate conspicuum. A quo, se ibi diuina virtute saluandam audiens, expergefacta euigilauit, & subitanea suæ liberationis saluatione, non somnium se, sed visionem vidisse comprobauit. Ità, gratiarum actione persoluta, domum, gaudentibus suis repedauit.

* Sosatum.

CAPVT XVII.

Alia furiosa sanatur.

QVÆDAM quoque eius vicina Athaluui * dicebatur, hæc dirissimo dæmonio inuasa tanta insania agebatur, vt nisi in vinculis haberetur, in obuios quosque sæuiret. Cuius parentes dum præfatam mulierem, quæ tanto mentis inops tempore fuit, sanissimam viderent, hanc quoque per sancti Confessoris merita saluandam esse, corde credulo præsumpserunt, si ad eius eam tumulum perduxissent. Proinde nihil morati, quia aliter ob nimiam rabiem adduci non poterat, in vincla eam coniecerunt, & ita eam ad memoratam Ecclesiam perduxerunt. Vbi dum pro ea deuota

* Athaluuildis.

mente orassent, omni dæmonica ludificatione effugata, sensuque reddito integerrimæ sanitati restituta est.

CAPVT XVIII.

Paralyticæ sanantur.

QVÆDAM de Frisia mulier paralysin incurrit. In qua infirmitate dum diu laboraret, & ad S. Ludgeri reliquias se perferri postulauit. Quod cum iuxta eius petitionem factum fuisset, accepta continuo plena corporis restauratione, propriis gressibus ad patriam remeauit, quæ vehiculo illic fuerat aducta; gratias agens Saluatori omnium Christo, qui per seruum suum eius corpus cunctorum membrorum officio destitutum, sub tanta velocitate dignatus est restaurare.

CAPVT XIX.

Cephalalgia.

Crypta noua extructa ad pedes sepulcri S. Ludgeri.

ALIAM quoque puellam longa ægritudo, nimiusque dolor paralyticam fecit. Quâ molestiâ, quamuis in modicum per omne corpus dolorem haberet, maximum tamen in capite incommodum sustinebat. Tantum quippe Cephalalgiæ dolorem patiebatur, vt de cerebro sonus quasi quidam sibilus audiri potuisset. vnde & caput assidue manu & brachiis constringere consueuit. Hæc ad nostrum Monasterium delata: in crypta noua quæ ad pedes sacri sepulchri fiebat, Deum rogatura posita est. Sed mira Dei Omnipotentis gratia, omni pristina debilitate & dolore ablato, continuo sana surrexit, & Deum pro reddita sanitate benedicens, incolomis recessit.

CAPVT XX.

** Ansuarij & Attuarij.*

QVÆDAM de Hatuariis * mulier, cum multo tẽpore membrorum officio destituta, lecto incumberet, quandoque ad memoratum viri Dei sepulcrum cum magno sui dolore, & cum magno portantium labore allata est: Vbi, dum sancto Confessore intercedente, & Domino fauente, celeriter pristinam perciperet sanitatem, Deum glorificans gratulabunda ad sua reuersa est.

CAPVT XXI.

Mulier arido brachio curatur.

** Hamarichi. Ripuarij.*

IN Ripuarijs iuxta ingressum siluæ Hamarichi * quædã villa nomine Budica constituta est. Ibi mulier quædam debilis habitabat, cui dextrum brachium aridum & digitorum vnguibus in volam infixis manus incurua erat. Quod cum diu pateretur, fama virtutum

tutum sancti Ludgeri ad eius notitiam peruenit. Cumque spe sanitatis suæ ducta ad eius sepulchrum properasset, prius quam illuc peruenisset in ipso itinere plenam corporis sanitatem; Domino beati viri meritis condonante, percepit. Quę tamen, peracto itinere, ad idem sepulchrum cum oblationibus sana peruenit, ac suum simulque omnium Saluatorem Dominum laudans, sospes ad sua regressa est.

CAPVT XXII.

Puella cæcitate & alijs morbis liberata ex voto fit Sanctimonialis.

QVIDAM Alfricus honesto inter suos loco natus filiam habuit nomine Amalbergam. Hæc cæcitatem incurrens, triennio ferè sine lumine mansit. Postmodum ad memoriam sancti Sacerdotis adducta, Dei virtute, & sancti eius interuentu ibi amissam denuo oculorum lucem resumpsit. Nec multo post tempore dextræ manus, & pedis sinistri debilitatem incurrit. Sed Dei gratia, simulque meritis sancti Ludgeri se olim lucem recepisse recolens, & se per eius identidem suffragia tunc quoque salutem recuperaturam fore confidens, ad nota confugit subsidia, & se rursus ad eius limen adduci rogauit. Quod cum secundum voluntatem eius prosperè cessisset, membrorum officio reddito, incommodo quo per integrum iam annum tenebatur liberata est. At illa, percepta sanitatis gratia se deinceps Deo seruituram, & sacrum ibi velamen sumpturam deuouit. Verum cum moras nectēs aliquamdiu hoc facere distulisset, capitis incidit dolorem, in quo cum nouem menses laboraret, & iam intollerabilius videretur, ab ancillula quadam quæ ei famulabatur, voti sui de velamine sumendo ammonita est. Vnde iterum illuc deducta, iterum ibidem curata, votum suum adimplere, percepto ibi velamine curauit. Ita triplici modo per virtutē Dei, Sanctique sui sanata opitulationem, nunc in Monasterio Sanctimonialium quod Asenidi appellatur, religiosam vitam ducit.

Promittit se sumpturam sacrū velamen.

Monasterio Asenidi votum implet.

CAPVT XXIII.

Reus cædis absoluitur.

QVIDAM iuuenis, ex his, quos ferro circundatos plerumque videmus, ad nostrum Monasteriū venit. Hic Adam, vt asserebat, nuncupatus, inter se & fratrem suum Hanricum nomine, rixam accidisse, & à se eum occisum esse referebat. Cuius sceleris noxa ab Episcopo Iona, ad cuius curam se pertinere testabatur, verberi-

Ionas Episcopus.

Homicida pœna.

beribus castigatus, atque in carcerem trusus est, vnde post anni demum circulum eductus, circundatis fortiter brachijs, & medio corpore ferro & durissimo ieiunio indicto, discalciatus, & sine lineo indumento, exulare iussus est. Quarto vero postquam à patria exiuit anno, ante sepulchrum sanctæ Gerthrudis ferrum de sinistro eius brachio cecidit. Deinde post anni circulum Romæ in ipsa S. Petri crypta ferrum quo præcinctus erat, nihilominus cecidit. Cum autem iterum Romam peteret, contigit vt infirmitate valida illic deprimeretur. Cumque in ipsa ægritudine vita eius desperata fuisset, quidam in habitu sacerdotali, specie admodum Reuerenda ei, vt perhibebat, apparuit, dicens, surge, vade, atque sepulchrum Ludgeri Saxonum quondam Fresonumque Episcopi perquire; & illic Domino miserante, meritis & orationibus suis, non solum à corporeo vinculo liberaberis, sed & commissi parricidij indulgentiam consequeris. Qua visione expleta confestim de infirmitate, qua tenebatur, absolutus est. Cumque mane somnium retulisset, multi qui eũdem sanctum Ludgerum in corpore viderant, & bene sancta eius studia nouerant, ibidem Romæ inuenti sunt, qui etiam viam ei ad locum sacri eius sepulcri intimauerunt. Sed ille à Roma digressus minus vigilanter vel eorum narrationem, & somnij verba intellexit, & non Confessorem Ludgerum, sed sanctum Martyrem Ludgerum, cuius tunc fama celebrior habebatur, expetiuit. Verum omnipotens Deus, vt merita sui Confessoris latius diffunderentur, per sanctum licet martyrem noluit ei subuenire. Itaque consumto ibi aliquanto tempore, cum sibi non succurri videret, somnij verba diligentius examinare cœpit, & se non ad martyrem, sed ad Confessorem Ludgerum Saxonum quondam Fresonumque Episcopum missum esse intellexit. Inuentisque viæ comitibus ad eius tandem sepulcrum, longo admodum itinere peracto, peruenit. Erat autem brachium eius dextrum adhuc tam fortiter strictum, vt os etiam eius pateret, & omnes eiusdem dexteræ digiti præter pollicem & indicem, rigidi ac debiles remanerent. Verum, quia sabbato venerat, cum insequenti nocte Dominica iuxta sepulcrum staret, & fratres iam matutinales laudes celebrarent, ferrum, quod brachium eius cinxerat repente dissiliens, longius virtute Domini proiectum est. Quo viso omnes Dominum in commune glorificauerunt, cum hoc quod internæ ligationis indicio acceperat, per internæ nihilominus absolutionis testimoniũ diuina iam indulgentia reiectum esse, gaudebant.

Ferrum varijs in memoriis excutit.

S. Ludgerus Saxonum Fresonumque Episcopus.

S. Ludgerus alius martyr.

)(?)(

CAPVT

CAPVT XXIV.

Surdus sanatur.

VIR quidam de Saxonia in loco qui Werina dicitur commanebat. Is diuinæ permissionis licentia tanta est diaboli inuidia surditate prægrauatus, vt nullum omnino auribus caperet sonum, sensu tamen integer fuit. Cum ergo diu funditus officio aurium careret, tandem spe recuperationis ductus, ad sepulcrũ Dei famuli peruenit. Cumque signa ad nocturnas vigilias sonarent, auribus eius p diuinam subito gratiam adapertis, eorum se pariter sonitum, & monachos psallentes, exultans audisse referebat. Ita continuo percepta auditus restauratione, rediјt domum magnificans Deum.

Nec solum sanctus Ludgerus à Diabolo plerumque læsos saluauit, sed etiam in auxilium inuocatus nonnunquam ne nocerentur, protexit.

CAPVT XXV.

Monachum munit contra Dæmonis adspectum S. Ludgerus.

REM quam narraturi sumus, Monachus noster Athelvvardus affirmare solet eo tempore gestam, quo nostræ Ecclesiæ custodia ei credita erat. Narrat enim, quod quadam die aduesperascente, cum ad eãdem Ecclesiam lumen, quod illic semper ardere solet, restauraturus accederet, iuxta ipsius Ecclesię angulum, vbi interius lectum habebat, se diabulum in visione nigerrima ac teterrima stãntem aspexisse. Qui cum prima eius inspectione tremefactus signum sanctæ crucis sibi inposuisset, fiducia de Domini misericordia & S. Ludgeri patrocinio resumpta, diu inperterritus, vt asserit, contra eundem diabolum aspiciens stetit. Qua eius constantia confusus, & tantam sibi inesse constantiam indignatus, talem ac tantum ad eum deterrendum sonitum fecit, vt parietes Ecclesiæ vna cum lectulo suo, qui interius collocatus fuerat, minutatim confringi viderentur. Quo facto, idem, nimio timore consternatus subitò clamauit, dicens; sancte Ludgere adiuua. Cumq; nomen viri inuocando nominasset, annuente Domino, idem Diabolus repente cõstrictus, & in partem Orientalem abstractus est. Atq; cum qua violentia traheretur, garriendo, & miserabiles voces emittendo mõstrauit. Monachus vero ille lumen, quod illic paulo ante reliquit, cum lectulo suo inuenit, & omne ædificium consistere integrum vidit. Atq; adhuc vocem præfati dæmonis in parte occidentali garrientis audiuit. Plu-

Signum S. Crucis contra Diaboli adspectũ vsurpatum, &c.

Inuocatio S. Ludgeri.

Cloccarum seu campanarum spontaneus sonus.

uit. Plura de hoc loco diuinæ dignitatis indicia feruntur, nam cloccarum illic sonitus, humana non tangente manu, sed agente potius cognitione Deitatis arcana frequenter audiebatur.

CAPVT XXVI.

Columna lucis Ecclesiam circumplectens.

S. Ludgerus intra Ecclesiam receptus. Digressio ad insequentia miracula quæ sui temporis autor collegit ab Anno 864. Monasterij inclinatio sub Præpositis.

QVADAM etiam vice ipse Ecclesiam, infra quam ipsum Dei famuli sepulcrum continetur, nocturno tempore columna lucis circumplectendo protexit, & ad cælum vsque porrecta foris excubantibus conspicua stabat. Sed nos hæc, quæ à præsenti longiusculè sunt tempore remota, eorum fidei, qui se vidisse testati sunt relinquamus. Ad ea potius euoluenda articulum flectamus, quæ non ex longinquo petenda sunt, sed proximo tempore, id est, ab anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXIIII. gesta esse probātur. Nam postquam ad improbiores Præpositos deuoluti, ipsi nostræ professionis titulo negligentiores & tepidiores esse cœpimus, signa quoq;, quæ eatenus apud nos fiebant, cessarunt. Verum vbi diuina clemētia, & regiæ pietatis indulgētia, illis amotis, fecem prioris ęui, sancto Ludgero opitulante, aliquantulum expurgare conati sumus, ad diuinæ oramus & credimus propitiationis indicium, ad Imperialis clemētiæ gloriam, ad nostrum teporem excitandum, signa quæ intercepta fuerunt, iterum fieri cœperunt. Quæ eo indubitatius auditoribus commendamus, quo non aliorum ea relatu, vt pleraque superius memotata cognouimus, sed ipsi oculis nostris plerumque pauciores, plerumque generaliter omnes inspeximus.

Miracula intercepta reuiuiscunt.

CAPVT XXVII.

In Crypta S. Ludgeri fragrantia odoris, & globus igneus.

Thiadbardus presbyter.

REM, quam narrare intendimus, eius qui viderat Thiadbardi scilicet presbyteri nostri testimonio referamus; cuius vel morum maturitas, vel ordinis dignitas eum falsa narrare, nos de narratis ambigere non permittit. Quadam nocte, dum isdem presbyter noster post vigilias cryptam orationis causa ingressus esset, primo cœpit odorem suauissimum quasi de liliorum floribus sentire. deinde cum eadē fragrantia crescere, & ipse odoris suauitate magis magisque repleti cœpisset, attonitus quidnā esse posset, secū tractare cœpit. Proinde rei veritatem omnino explorare volens, ꝓgressius cryptam ingressus est. Quo facto, cernit in medio cryptæ quasi igneū altaris altitudine globum ardentium instar carbonum, ingens dico

In S. Ludgeri crypta odoris suauissimi diffusio & globus igneus.

horror,

horror, ingens pauor eum inuasit, & animum hac illacque versans, quid esset acturus, omnino incertus manebat. Volebat ostensi miraculi finem cognoscere, sed ibi diutius consistere formidabat. Volebat egredi, sed timor gressum impediebat. Hærebat igitur stupens, & quid in hac animi æstuatione ageret, prorsus ignorauit. Interim globus ignis, quē viderat sensim ascendere, & sua diffusione paulatim minui cæpit, donec ad summitatem cryptæ perueniens totus deficere videretur. Post quod tremens egressus antiquum nobis sancti Pauli exemplo miraculum repræsentauit. Nam apertis oculis vix aliquid per vnius horæ spacium videns, manifestum dabat indicium, se diuinum conspexisse lumen, cuius reuerberationem humanus ferre non posset aspectus.

CAPVT XXVIII.

Insolitum lumen lucernæ, quæ exstingui non potuit.

ALIVD quoq; nihilominus miraculum in re non admodum impari his itidem diebus ostensum est, cuius fidem & veritatem Lectori partim ex testimonio presbyteri nostri Ludberni, partim ex generali nostræ congregationis attestatione commēdamus. Nā cum eidem fratri nostro nostræ Ecclesiæ custodia fuerat cōmendata, post peractū diuini officij cursum, ad extinguendas ex more lucernas, accessit. Quo facto quandā ex eis post paululum redaccensam luce ardere clarissima vidit. Ille negligentius se eam extinxisse suspicatus, iterato eam extinguere emunctorio curauit. Sed cū post hæc, secunda quoq; vice pristinæ luci cerneret restitutam, quamuis omnino prius se eam extinxisse non ignoraret, quid tamen rei esset, probare contendit. Deniq; tertio quoq; accessit, & ita extincta cādela carbūculum de lichino emunxit, vt nihil prorsus in eo lucis remaneret. Vix paululum abscessit, cum rursus eandem lucernam clariori resplendere luce contemplatus est. Tunc diuina hoc factū voluntate intelligens, ardere eam vsq; ad proximum cursum permisit; & ita accensis in circuitu lucernis, iocundissimum nobis spectaculum præbuit. Omnes namq; singulari claritatis specie transcendēs, de cælo sui splendoris lucē venisse, liquido patefecit. Ita ex his, quæ vidimus, etiam ea quæ non vidimus, sed à memorato fratre nostro audiuimus, procul dubio vera esse cognouimus. Ex eo, licet indigni & peccatores, tempore, spem maiorem de meritis sancti Ludgeri, confidentiam maiorem de Domini pietate concepimus, dum misericordiæ suæ præsentiam per cæleste nobis lumen ostensam, quamquam immeriti, præsumpsimus.

Ludbernus presbyter & custos Ecclesiæ VVerdinensis.

Capvt XXIX.

Cæca puella restituitur.

QVædam iuuencula de villa quæ Balloua vocatur ad nos à parentibus adducta est. Hæc variolæ infirmitatem incidens, vnius oculi visum pustulis pupillam obducentibus primo perdidit; deinde post reuolutum anni circulum, eodem morbo alterũ quoque oculum amisit. Proinde ad nostrum, vt diximus, monasterium adducta, noctem dominicam, quæ proxima erat, peruigilem duxit cum suis, atque diuinam sibi misericordiam per merita sui Confessoris subuenire suppliciter postulauit. Cumque tempus, vt signa ad nocturnas pulsarentur, aduenisset, ipsa inter primos qui foris ad ianuam excubabant, Ecclesiam intrauit. Iamque finitis nocturnis, cum Euangelium, more monachis consuetudinario, ante matutinas laudes legeretur, ipsa visum sensim resumere cœpit, & primo quidem se posse candelas cernere ardentes lætabunda exclamauit. Postmodum, aurorâ iam irrubescente, & luce paulatim per fenestras irradiante, imagines in eo factas monstrare digito cœpit. Ita populo, die eodem, post peracta missarum sollemnia repræsentata, testes suæ cæcitatis vel illuminationis præsentes cum plurimis alijs parentes habebat. Quale tunc gaudium omnium erat, quantæ inter gaudia lacrymæ fundebantur. Gaudebat puella se esse saluatam, gaudebant parentes eam quam adduxerant cæcam, se recepisse inluminatam, Gaudebat omnis populus nobiscum, quod signa aliquamdiu nostris peccatis intercepta, iterum redinnouari meruerunt. Quocirca, vt fas erat, Deum in Sanctis suis mirabilem communiter cuncti laudantes, puellam à nobis sanam & cum suis gaudentem dimisimus.

Capvt XXX.

Paralytica curatur.

QVidam nostræ Ecclesiæ colonus nomine Gerhardus filiam habebat quæ Thiaduuif nuncupabatur, quæ longiturna ægritudine prægrauata, paralysin incurrit. Nam sex continuis annis membrorum officio destituta, suis cruciatibus paternum magis animum cruciabat. Iam caro omnis infirmitatis prolixitate in corpore consumpta, iam vita erat morbi violentia, desperata. Vna solummodo spes salutis restabat, si sancti Confessoris meritis, sub cuius patrocinio ipse cum paruula erat, Deus sibi subuenire dignaretur. Denique, quadam die spe plena, & corde credulo filiam accepit;

cepit; cum euna, In qua iacebat, in Ecclesiam posuit, & pro eius saluatione orationem ad Deum fudit, fecit hoc cum multis lacrymis, & ingenti cordis deuotione. Nec inanis esse oratio quiuit, quam cum sancti Ludgeri suffragio patris fides commendabat. Siquidem filiam, ablata infirmitate sanam leuauit, quam membris omnibus debilem aduexit.

CAPVT XXXI.

Mulier à puerperio cum prole debilis sanatur.

MVLIER quædam de villa, quæ Flethric vocatur, cum prægnãs, & partui esset vicina, incidit in infirmitatem; Cuius molestia dum grauissimè laboraret, curua effecta est. Quodque miserabilius erat, filia quoque quam in ipsa infirmitate genuerat, simili ægritudine languere cœpit. Eratque miserandum prorsus spectaculum, cum lactans mater per tres annos continuos alienis manibus portaretur. Sed maior necessitas, maiori quoque diuina indiget pietate. Nam in vna carra mater simul & filia positæ, quarto demum suæ infirmitatis anno ad nostram Ecclesiam adductæ, & in crypta pernoctare permissæ sunt. Mira Dei virtus, magnum S. Ludgeri meritum, dum ad vesperam debiles allatæ, mane incolumes surrexerunt, & relicta carra, propriis ad suos pedibus repedarunt.

Priuigilium in crypta S. Ludgeri.

CAPVT XXXII.

Matrona nobilis à paralysi liberatur.

QVÆDAM ad seculum nobilis fœmina de villa Baegge nuncupata, Buggè vocabatur. Hæc paralysin incurrens per annos duodecim plenos, membrorum penè omnium officio destituta iacebat. Nam neque caput, neque pedem per se mouere, neque manus ad os ducere sine aliorum adiumento valebat. Cumque suæ recuperationis gratia, vt nobilibus assolet personis, multa ei à multis vel fierent, vel insinuarentur, nullum alleuiamentum recipere quiuit. Iamque nulla sibi in carnali medicina spes erat, sed vnicum ei in Dei pietate refugium suppetebat. Interea fama exijt per Sanctos, quorum sacrosancta pignora venerabilis Abbas Adalgarius de Gallia aduexit, multas operari virtutes. His aduentantibus, memorata mulier adducta obuiam sanitatem per eorum merita ex parte percepit, ex parte maiorem de integra sui corporis restauratione spem concepit: Omnipotens quippe Deus, qui pro singulorum fide, meritis, & vtilitate, quando, quantum, & per quos

Adalgarius Abbas pignora Sanctorum ad monasterium forte Corbeiense de Gallijs aduehit.

 vult,

vult, vnicuique suorum charismatum dona largitur, debilitate partim capitis, & dextræ manus ablata, cæterorum redintegrationem membrorum distulit, non negauit. Siquidem post multos dies ad nostrum Monasterium post hæc aducecta, atque in crypta duas noctes permanere permissa, integerrimam totius corporis sanitatem percepit.

Capvt XXXIII.

Variolis oppressus sanatur.

QVIDAM de villa Bram Seliradbrandus infirmitate, quam variolam appellant, ad mortem vsque ægrotabat. In cuius morbi molestia nouẽ ebdomadibus sine aliqua iam spe recuperationis laborabat. Corpus totum vlceribus plenum, totum vesicis turgentibus horrebat. Aderant parentes, & necessarij quoque & vicini, & nullam spem vitæ habẽtes, de eius solummodo funere tractabant. Inter hæc vxor suadere his qui aderant, cœpit, vt in extremis licet positus, foras efferretur, & contra viam loci, quo Sanctus Ludgerus quiescit, statutus, pedes illuc si vita ei daretur, cum oblationibus esse venturus, voueretur. Necdum vota compleuit, & repente cum magna omnium admiratione conualuit; factaq; est mirabilis tunc dexteræ excelsi immutatio, vt ipse, in quo paulo ante, propter nimiam inflationem & pustularum densitatem, viui hominis imago non agnoscebatur, in pristinum denuo statum in momento reformaretur. Ita sanitate restitutus, votum suum cum omni festinatione adimplere contendit; atque Saluatori suo Christo, & sancto simul Confessori eius Ludgero gratias acturus, ad nostrum monasterium venit, & hæc erga se gesta fuisse, cum suæ saluationis testibus comprobauit.

Capvt XXXIV.

Clauda restituitur.

CVIVSDAM Thiaddagi filia graui morbo affecta cum magno admodum dolore, si quando opus erat, foras efferri consueuit. Nam poples ei vsque adeo inflatus, & immodicum sibi doloremexcitabat, & gressum tollebat. Iamq; triennium exactum erat, ex quo in hoc incommodo perdurans, nullam omnino humanis manibus adhibitam curam suscepit. Vnde pater eius quamuis gemebundus, fide tamen plenus, totam spem suam in Domino & meritis sancti Ludgeri ponens, ad eius eam sepulcrum adduxit. Vbi, cum de voce Domini misericordiam pro ea, & Confessoris opem postulasset, doloris quidem alleuiamentum meruit, gressum vero necdum percepit.

cœpit. Proinde domum reuersa de die in diem meliorari, & pedetemptim in ambulandi vsu proficere cœpit, baculorum tamen adminiculo carere necdum valebat; & primo quidem duorum, deinde vnius baculi sustentatione gressum debilem sustentabat, quoadusque iterum ad locum memoratum veniens, pedum perfectè officium mereretur, atq; sine baculorum subsidio domũ remearet.

CAPVT XXXV.

Infans contractus & cæcus curatur.

QVIDAM de villa Furelmi Vulfbertus, filium habuit nomine Amulgerum, qui quinto post natiuitatem suam mensium spacio, grauissimo iuxta tantillæ ætatis modulum languore prægrauatus, cunctis se miserabilem præbebat. Non solum quippe ægritudinis violentia flebilis, sed & digitis in volam implexis, & pedibus incuruis miserabiliter erat contractus; quodq; miserrimum videbatur, vsu quoq; oculorum carebat. Quæ tamen in tantillo corpusculo pœna, non tam infantulum, qui patiebatur, quam paterna viscera torquebat. Proinde sciens, ab eo remedium sibi venturũ, cuius iudicio talis effectus est, per merita S. Ludgeri diuinum pater auxiliũ implorare intendit. Deniq;, fide & deuotione, qua paternos affectus decebat, ad eius eum memoriã se allaturum deuouit. Quo facto, paulatim infans meliorari, & pristinæ sanitati, dolore ablato, restitui cœpit. Vnde pater indubitatam iam de integra eius saluatione spem concipiens, voti sui sponsionem cum omni festinatione adimplere curauit. Itaq; infantulo secum assumpto ad Vuerthinẽsem Ecclesiam tetendit. Quo cum peruenisset, de collato iam sibi beneficio gratias egit, de conferendo supplex orauit. Nec spe sua est frustratus, quam de diuina pietate, & meritis S. Ludgeri concepit; Nam in crypta cum puerolo pernoctare permissus, incolumem reportauit, quem contractum adduxit.

Hæc Sanctus & verè Beatus Confessor Christi Ludgerus de inexhauribili illo veræ salutis fonte assumens, per corporum curam, ad animarum nos salutem quærendam inuitat, quatinus vtrobique eius pattocinio adiuti, vtrobique saluati, peruenire quandoque ad æternam beatitudinem mereamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vnus viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

R. P. CHRISTOPHORI BROVVERI S. I.
NOTÆ AD VITAM S. LVDGERI.

DE

DE EDITIONE HISTORIÆ S. LVDGERI NOVA.

S. LVDGERI vitam Tomo II. Surij. ad XXVI. Martij illatam, quam pridem manibus omnium teri, palam est. Autoritas & fides asseritur Monachis Cœnobij Werdenensis; atque hi in Prologo suo, eandem accersunt ab ijs vsque, qui cum Sancto vitam egerunt. Et allegare tamen haud piget vel scientiæ tenuitatem, vel suspectam quorundam de narrandis virtutibus fidem, Ego, vt quod res est, fatear, postquam incidi in peruetustum Fuldensis Bibliothecæ codicem, Aciadnæum filum adspexi; &, ilicò licuit dignoscere, quid inter narrationem interesset germanam, primigeniam, & simplicem illam, & hanc magno verborum, vt amnium circuitu, velut & fonte longius diductam. Itaq; locum istic inuenisse comperiebam dictum illud vetus

Discrimen inter hanc & editam a Surio.

Quam pauca quam multis loquuntur Attici?

hic autem plura paucioribus quoque comprehēdi, intelligebā. Iam in edito Prologo, cum Autores volumen duob libellis, se distinguere profitentur, eos ipsa argumenti cōditio redarguit, longius certè à S. Ludgeri ætate abfuisse. Quanquā plane diuersi autores esse videtur, eius partis, quæ vitam Sancti complectitur, & alterius, quæ miracula persequitur. Cæterum editi tametsi à nostra sententia nō plurimum discrepant, si tamen illorum comparare editionem cum hac nostra fuerit otium, reperies ἐν τῷ ἠθικῷ, id est in ijs quæ ad mores pertinent, & excitandæ faciunt pietati, ad pleraque S. Ludgeri dicta factaque effluere, & περιφραζομένως multa circumloqui, interdum nec sententiam penitus assequi; omittere alibi, quæ ad narrationis integritatem facerent sane multum. Quamobrem, qui liber egregius, hæc damna vetustatis & incommoda præstiterit, eum ego apud priscæ memoriæ cultores, amantesque Ecclesiasticæ historiæ, iam editis haud postponendum arbitror, sed in eadem militia ordines quoque ducturum confido. Accedit, quod in edita vita, miraculorum longa series sponte subducta, atque ita posterior libellus non integer, sed mancus exierit. Itaque, quo corpus hoc integrum daremus, miracula omnia, ex eodem M.S. Fuldensi, suppleuimus, atque vt Lector, quid Surianæ editioni deesset, facilius animaduerteret, ad oram marginis litteris D. S. defectum expressimus, nec tacuimus, si qua hanc nostram illa conaretur supergredi.

Denique capitum titulorum ac lemmatum, vtriusque varietas est. Et quia in Fuldensi, index capitum primi libri, aliquo tenus, imo quatuor

quatuor ipsa capita à XX. vsque ad XXIV. iniuria temporis vel hominum, membrana violata perierunt, nec recuperari studio aliunde potuerunt. hæc ipsa ex Werdenensium Cœnobitarum lucubratione putaui posse restitui.

DE AVCTORE VITÆ S. LVDGERI.

NOMEN Auctoris expressum non inuenitur. At æqualem fuisse ætate S. Ludgero & gente Frisium, indicia sunt non pauca. Primo namque capite à SS. VVillibrordo & Bonifacio patriam suam narrat fide Christiana illustratam. Cap. XII. Frisiæ populum à S. Ludgero conuersum vsque hodie (de suis temporibus loquitur) acta illius mirifica prædicare. Capite XVIII. disertè in Frisonum gente Presbyterum se vidisse meminit, Landricum Principis insulæ Foteslandiæ filium, quem cum parente S. Ludgerus salutaribus vndis ablutum, de fonte leuarat: quorum nihil in VVerdenensium commentario scriptum reperias; vt vel hinc auctorum quoque diuersitas, manifestiùs appareat.

Igitur anxiè & diligenter in hanc rem inquirenti duplex oblatum est indicium; alterum ex MS^to^ VVerdenensi, hac de caussa ad Collegium Societatis Coloniam missum; alterum ex Ioannis Cincinnij Luppiensis Presbyteri commentariolo vitæ S. Ludgeri, quam Anno MDXV. typis Quentelianis ipse Coloniæ publicauit, & monachis VVerthinensibus inscripsit. Sane Codex VVerdenensis MS. plurimum vitæ Surianæ respōdebat, licet ab integritate non commendatus. In eo vita legebatur huius Sancti metro rhytmico conscripta, serie triplicis Litaniæ, cuius autor in Præfatione meminit id iussu Bernardi Abbatis ab se meditatum opus, & quartum esse se vitæ S. Ludgeri scriptorem. Porro de Bernardo Abbate, aliâ additum, manu, extitisse XXVIII. numero, vixisse ante annum Domini MCXLI. Enumerat inde tres, qui S. Ludgeri vitam litteris anteà complexi sunt. Othelgrimum familiarem eius & discipulum: hinc Altfridum tertium Monasteriensis Ecclesiæ Episcopum; inde Vstingum VVerthinensem Monachum, quem Cincinnius Virum, ait, fuisse multæ eruditionis & elegantiæ. Glossema veteris manuscripti antea à me laudati, vitam illam Surianæ similem, notabat ex Altfrido, & Rhytmicis actis confectam. Equidem Surianam ex pluribus, vt Cincinnii διὰ vel ἐκ τεσσάρων* ipso profitente, liquet concinnatam: quanquam vndiq; multa Cincinnius de S. Swiberto Hildegrimo fratre S. Ludgeri, Gerfrido

Scriptores vitæ S. Ludgeri varij.

**ex quatuor Scriptorum historia*

frido & Altfrido Monasteriensis Ecclesiæ Episcopis Satyræ in morem congessit. Sed de autoribus vitæ S. Ludgeri satis forte superq;. Huius quam edimus patrem ciere si fas mihi iusq; permittant, non alium ostendero, quam Otfelgrimum; quia hunc, loca, quæ protuli; & scripturæ Fuldensis membrana sanè perantiqua monstrant.

II libellus de S. Ludgeri miraculis.

Cæterum libellus alter de miraculis, etiamsi cum nostro interdũ consentiat, & alicubi ne verbo quidem ab eo discrepet, est tamen vbi solutis lacinijs sese diffundit, proditq; non vnum & eundem extitisse vtriusq; libelli patrem. Neque facile me explico, quemadmodum posterioris editi Prologus, in prioris M.S. codicis, Prologi locum migrarit, nisi quod largiter scio hic peccari à librarijs, quarum temerè non rarò

Grassatur Cnidiæ sulcus arundinis.

ÆTAS S. LVDGERI INVESTIGATA.

DIFFICVLTER, quæ iam pridem nobis ademit obliuio fugitiua, retrahere, ait Varro, possumus, præsertim vbi illæ tenebræ occurrunt, vt ne instructi face quidem & viatico, exitum inueniamus. Et in temporum notatione peruestiganda, nihil sane, nisi quod καθ᾽ ὁμάδον & aceruatim in vita S. Ludgeri dictum est, præsidij nobis offertur. Itaque scientiam ad opinionem hic, non ad accurate cognoscendum aucupabimur, terminis duobus inuentis, vnde tanquam lineis chronologiam signemus.

Natum amplius viginti annis fac S. Ludgerum profectum in Britanniam vt Diaconus ibi fieret.

Vnum post annum redit Diaconus ad S. Gregorium, ac deinde reuertitur in Britanniam. &c.

III. annis & dimidio audit Alcuinum.

Anno circiter XXVI. ætatis suæ Christi DCCLXXV. ordinatur Coloniæ Presbyter, quando S. Gregorio Vltraiectensi defuncto, Albericus successor consecratus Episcopus. Hinc vice sua præest Traiectensi monasterio, & in Frisiam, & ad finitimos Saxones, Euangelij causa excurrit.

Anno DCCLXXXIX. cœpit continua septenij prædicatione Frisijs Euangelij facem præferre, post quam, mouente persecutionem Windekindo,

Anno DCCXCVI. Romam ad Leonem Papam adijt.

Anno DCCXCIX. cum Beneuenti biennium & annum dimidium substitisset, inde à Carolo Imperatore euocatus est, & Monasterio Lotusæ præfectus. Huic præfecturæ annum, Expeditioni verò circa Pagos orientalis Frisiæ & Fosteslandiam paulo plus demus licet;

ergò

ergò præter propter.

Anno demum DCCCII. ab Hildebaldo Coloniense præsule Episcopus fuerit creatus. Nam quod in editione Suriana, cap. IX. in Mimigardefordensi, vel Monasteriensi Ecclesia, sine ordine Pontificali annis fere duodecim rem Christianam administrasse traditur, id rerum series, ad superiora tempora necessario reijciendum, euincit. Deniq; consensu scriptorum vitæ S. Ludgeri.

Anno Domini. DCCCIX. ipse migrasse è sæculo proditur. Iam ex hac annorum distributione facile colligis natum S. Ludgerum circa annum Domini DCCXLIX. Annis vixisse LX. Monasteriensem Ecclesiam rexisse annis vndeuiginti. Obijsse año ordinationis suæ VII.

Cæterum quia hæc κατὰ πλάτος, plane vt iacent ex S. Ludgeri vita eruimus, locum ingenij coniecturis adhuc relictum existimo. Equidem & plures annos Episcopatui dari posse, & non rectè Romanam profectionem ad Leonem persecutioni Widekindianæ subijci, ex eo conijcere cæpimus; quia in vita S. VVillehadi, primi Bremensium Episcopi, quam bona fide vetustus scriptor Adamus in Bremensi historia recenset, scribitur is *ob persecutionis metum, cum S. Ludgero Romam adijsse, & sanctissimi Papæ Adriani consolatione releuatus*; latuisse hinc in Treuiris VVillehadum Epternaci, apud sepulcrum S. VVillebrordi, Ludgerum longius abijsse in montem Cassinum, ad confessionem S. Benedicti. Biennio hinc transacto, quod est anno Caroli XVIII. (Christi DCCLXXXV.) cum VVedekindus incentor rebellionis, Baptismi gratiam cum Saxonum magnatibus adeptus, venisset in fidem Caroli, redijsse ad prædicandi munus exules; & VVillehadum Caroli nutu impositum Bremensi Cathedrę. Qua ex narratione bis Romam adijsse existimo S. Ludgerum: primum Adriano sedente, sub annum DCCLXXXI. & probabile, vt tunc S. Benedictum in monte Cassino salutasse legitur, eodem itinere peruenisse Beneuentum, & inde post hanc primam peregrinationem, Saxonia sub iugum missa, & pacato VVidekindo, ab ipso Carolo reuocatum Ludgerum. Nam ita disertè codices antiqui. VVidekindo deuicto, siue conuerso; & Saxonibus ad Baptismi gratiam perductis, Ludgero Saxoniam occidentalem in procuratione muneris obuenisse volenti. Sit igitur verisimilior iste computus.

Chronologiæ prioris emendatio.

S. VVillehadi primi Bremensiũ Episcopi cum S. Ludgero peregrinatio.

S. Ludgerus bis Romam profectus videtur.

Anno Domini DCCLXXXII finita septennali circiter in Frisia prædicatione, & persecutionem inchoante VVidekindo, S. Ludgerus & VVillehadus Romam ad Adrianum Pontificem profecti sunt.

Anno Domini DCCLXXXV. reuersus Ludgerus Lotusæ, & in Pagis Frisiæ re bene gesta,

Anno circiter DCCLXXXVIII. in occidentali Saxonia Mimiger-

nofordensi gregi præficitur, quem cum XII. annis tantum presbyter rexisset.

Anno plus minus. DCCC, ab Hildebaldo factus Episcopus.

AN S. LVDGERVS FVERIT MONACHVS?

HVIVS autor quæsiti Albertus Krantzius est; qui in Metropoli sua lib. I. cap. V. controuersum extitisse meminit, num S. Benedicti familiam an Clericorum secutus sit, qui institutione Canonica viuunt. At ipse huc vadit, vt monachum fuisse, sibi persuaderi nolit, tum, quia carnium esu non abstinuerit; tum, quia habitum eius familiæ deseruerit, vtrumque præter morem & institutionem S. Benedicti. Porró Trithemius diserté, nec semel, Monachum S. Benedicti monasterij Beneuentani fuisse pronunciat: quia inibi cum Fratre Hildigrimo, diutius commoratum, ex actis vitæ didicerat. Sed eadem ratione, cur non Vltraiectini monasterij? in quo sub Gregorio Abbate & præceptore adoleuit, vel Eboracensis in Anglia, vbi sub Alcuino grauioribus disciplinis eruditus est. Monachus fuisse dicatur? Sane Krantzij rationes, non tam plausum merentur, quam eius crisis. Viros enim Apostolicos, & perfectioris ordinis Episcopos meminisse debuit, vt ita loquar, cum Iuris Consultis familia exire per adoptionem, ac in gentem venire, ac nomen Ecclesiæ sponsæ, cui, annulo pronubo, maritandi sistuntur. Quamobrem scitis ac regulis ijs non vltra subiacent, quæ velut extrinseca iam eorum instituto ad id vel promouendum, vel impediendum parum conducunt, vt Canon docet inscriptus. Statutum, 18. q I. & Theologi ad D. Thomæ *22*, q. *185*. Ceterum, etsi educatio S. Ludgeri & conuictus assiduus in monasteriorum gymnasiis, in gremio quasi Monachorum extitisse deprehēdatur, diserte tamen eius vitæ scriptores Monachi, ab hoc vitæ genere eum absoluere maluerunt, cum aiunt *Cucullam non gestasse; quia regularem nunquam promissionem fecisset; sed sub Canonico habitu, Monachorum perfecte vitam implesse*. Id quod in eiusdem argumenti capite, huius nostræ editionis non legi, certum est.* Vbi superstitiosas vestium vilitates tantum non amasse, perhibetur. Ego quidem amplius hic deliberandum existimo: & simile forte reperias hic aliquid, quale de S. Ansgario Bremensi Episcopo, & Apostolici spiritus viro legitur; qui Monachus ex Corbeia noua Saxoniæ prodiens, Bremæ Congregationem Sanctorum virorum instituit, qui vt Adamus memoriæ prodidit, habitu quidem vsi Canonico, regula viuebant monastica,

Episcopi desinunt esse monachi.

Negant fuisse Monachum VVerthinenses.

S. Ansgarij institutum miscellaneum ex Clericis & Monachis.

ſtica, genere quodam vitæ miſcellaneo, medioque. Et animaduerſione digna hæc verba ſunt. *In Traiecto Monaſterio tonſuratus.* Ac. *tonſurâ ibidem acceptâ*; quod attonſionis genus per inciſionem capilli, vel ablatam cæſariem, priſcis Monaſterij ritibus, abdicati ſæculi argumentum aut ſymbolon fuit.

AD CAPVT VI.

De ſancto Lebuino Dauentrienſium Apoſtolo.

LIATWINVM hunc indigetat Tranſiſalanorum Apoſtolum vetus ſcriptor; apoſtolatum eius, Eccleſiæ Dauentrienſis originem, & corporis inuentionem compendio perſtringens; quam hiſtoriam Suriana editio in præteritis habuit. Hucbaldus eam ſed περιφραζόμενος exornauit apud Surium XII. Nouembris, capite IX. vbi Marcellinum additum à B. Gregorio collegam appellat, qui in M.SS. conſtanter vocatur Marchelmus. Capite vero XVII. inuentionem aut translationem à S. Ludgero factam deſcribit, quæ in Eccleſia Traiectenſi celebrari conſueuit XXV. Iunij. Quia verò Hucbaldus ætate remotior à S. Ludgeri memoriæ ſcriptoribus, mutuatum ab his narrationem ſuam credibile eſt; & verborum ipſe character id oſtendit. De Baldrico autem quintodecimo Vltraiectinæ ſedis Epiſcopo, cui S. Leuvvini vitam Hucbaldus dedicauit, litteris traditur, inter alia Sancti quoque Lebuini pignus è ſepulcro leuaſſe, & honoratiore loco condidiſſe. Bernulfus vero Epiſcopus in ordine XX. regnante Conrado II. ex Collegio Saluatoris Dauentriam Canonicorum tanquam coloniam deduxit, nouo S. Lebuini honori poſito templo. Vbi & S. Marchelmus cuius natalis agitur XIV. Iulij, ſepulturam inuenit.

Inuentio & Translatio S. Lebuini adi ſcriptores Eccl. Traiect. Beccanum Hedam & Indigitamenta.

In Confinium Francorum & Saxonum iuxta fluuium Isla, ad locum qui dicitur Dauentre. Huius Chronographiæ indagatio non habet difficiles explicatus, ſi miſſis veterum Saxonum ſedibus & migrationibus in rem præſentem veniamus; id eſt, Caroli Magni & S. Ludgeri ætatem intueamur. Nam qui alioqui priſcorum inhærens autoritati, apud Ptolomæum tam in Germaniæ typo, quam eius exegeſi, Saxones ad Cimbricam Cherſoneſum & Oceani littora collocari videt, eosq; dein Albis accolas, ad Viſurgim Amaſimq; ſerò perueniſſe, ſerius etiam tranſiiſſe, memoria repetit, quomodo illos apud Iſalam fluuium ſedes habuiſſe credat? Sed in hac motoria ſcena gentium, vtique κληρουχίαν ſuam & ſortitionem, hiſce locis, veteribus vel pulſis, vel ſponte migrantibus colonis, tandem adepti Saxones. Nec mirum; gentem, vt Oroſius loquitur, virtute atque a-

Saxonum ſedes & migrationes

gilitate terribilem, in Romanos olim fines & Francorum veterum limites imminentem, virtute bellica, Francis meliorem fortunam nactis, Albis, Visurgis, Amasisque Mesopotamiam sobole sua oppleſſe, vt quod Cherusci, Bructeri, Iubantes, Ieacteri, Ansuarij, Chauci in parte terrarum occuparent, hoc postremò, nomen Saxonicum sibi totum vindicaret.

Isala fluuius ex Rheno partim à Druso diductus, partim fonte suo progenitus ex Austro Boream versus, in sinum Germanici maris euoluitur. Zutphaniam Dauētriam Campos, non obscuri nominis ciuitates alluens. Adiacet igitur Dauentria huic flumini, Emporium olim celebre, & præclaro gymnasio frequentatum, à Philippo II. Catholico rege ornatum quoq; cathedra Episcopali. Hinc verò amni appropinquabāt, tunc pars Saxonum Isalani Benthemij, Iuentij, & qui Lippiæ & ditionis Monasteriēsis iam finibus populi continentur. Porro recedendo ab Isalæ citeriore ripa, Rhenum versus, quicquid Vltraiectinæ & Geldricæ ditioni iam superest, id Francorū vel Austrasiæ regum, olim imperio subiacuit. Hinc toties illud Neomagi Palatium à Magno Carolo frequentatum, & patrimonia fundique amplissimi etiam Galliæ monasteriis ex hoc solo assignatæ à Pippino Patre, à Carolo filio, vt promptum sit, si res ferat, ostendere in nobilibus Abbatiis S. Saluatoris Prumiensi, & S. VVillibrordi Epternacensi.

Dauentria ad Isalam.

Austrasiani Saxonibus vicini.

Neomagi Palatium.

Fundi regū Austrasia.

Hinc igitur Francis, inde Saxonibus ita collocatis manifestū relinquitur, vbi id confinium extiterit Francorum, & Saxonū, puta Occidentalium, quos VVestphalos iam appellamus, in quo Lebuinus salutaris doctrinæ sementem fecit.

Ad Caput VIII.

OCcidentalem Frisiam. Hanc exprimit capitis Epigraphe, & capite XII. repetitur, septenniū potuisse in Occidentalis Frisiæ edomandis rudium hominum pectoribus, huius regionis homines *Paganos vocat asperrimos*, vtpote quibus remolliendis sudoris multū impensum & operæ. Et, quia XVI. capite, quinque pagorum Orientalis Frisiæ mentio fit; quorum Prouincia S. Ludgero à Carolo mandata, partitio celebris quædam hinc Frisiæ cognoscitur, in Eoam & Occiduam: quæ licet nomine etiamnum tenus vsurpetur, aliter tamen situm hunc, locorumq; respectum S. Ludgeri ætate habitum apparet. Nec patitur instituta breuitas, quæq; indigenæ, quæq; exteri de hac partitione scripserint, sub limam reuocare & accuratius discutere. Satis liquet Frisios Orientales ab Occiduis hodie ferè Amasis fluminis lapsu inter se discerni: cum illi cisamnenses Erodam,

Frisia occid Pagani olim asperrimi

Frisia Eoa & Occidua

dam, Buricam, Nordam; & inde versus ortum Iesеniam & Ierceram ad Iadum fluuium Visurgis aduenam , oppida incolant: hi trans Amasim, Groeningam, Leonardiam, Franikam, Doccumam aliasque versus occasum ciuitates inhabitent Atque in hac Occidentali, quod quidem instituto nostro seruit, tradunt veteres à plagis his habuisse & nominasse regiones Oestergoam & VVestergoam. id est Eoam & Occiduam terram , in quibus S. Bonifacius Martyrij palæstram, & S. Ludgerus Euangelii campum habuit. In Ecclesiæ Vltraiectinæ monumentis , legimus Comitatus extitisse hoc nomine Oostergouve & VVestergouuæ, qui Imperatorum gratia donum ei accessere. Monuerunt & eruditi viri in Ecclesiæ Vltraiectinæ scriniis reperiri, bonam Hollandiæ partem, quæ ad Septentrionem vergit olim Occidentalis Frisiæ nomine appellatam: inferioris Frisiæ tractum fuisse , agros Alcmariæ & VVaterlandiæ. Attigit hoc argumentum Serarius noster Notatione XLVI. ad vitam S. Bonifacij. Sed copiosius VVilhelmus Heda in histor. Episc. Traiect.

Canimefatum seu Kenemaria.

QVINQVEPAGI ORIENTALIS Frisiæ.

PAGI hic circumscripti terrarũ districtus. Editio Suriana nomina Pagorum expressit. Huhmercki, Hunuſga, Fiuilga, Emisga, Federitga, qui sponte subiere Caroli Magni iugum. Illustrant locum hunc antiqua Scholia ad calcem adiecta Ecclesiasticæ historiæ Adami Bremensis. Fresia, inquiunt, regio est maritima, inaccessa inuiis paludibus; habetq; Pagos XVII. quorum tertia pars Bremensẽ respicit Episcopatum his distincta vocabulis. Ostraga Rustringe, VVanga, Diesmeri, Herloga, Nordi atq; Morseti, & hi septem pagi tenent Ecclesias circiter quinquaginta. Hanc Fresiæ partem dirimit à Saxonia Palus, quæ VValpinga dicitur , & VVirrhaæ id est Visurgis fluuii ostium. A reliqua Fresia palus Emisgoe (Amasis lacus) terminat, & mare Oceanus. Habes thesaurum hic scholiorum, in quo Chronographiæ studiosi plurima inuestigatione digna reperiant. Ostraga pagus exprimitur, in quo S. Ludgerus Doctorem egit, & S. Bonifacius Martyrium fecit, vt vitæ huius cap. IX. enarratur. In pago vero Morseti, clarum extat vestigium Massatiorum, quos inter Frisios, & Frisiobonos numerat Plinius.

Fresia in Pagos distributa, & qui ex eis Episcopatus Bremensis.

Ostraga Pagus forte Oestergoam Morseti à quo Marsatij.

AD

AD CAPVT XIII.

VVidukindi Principis Saxonum persecutio.

Helium & Fleuum frustra neoterici inquirunt.

INGENS ea fuit, & cladis genere & tractu locorum, si rectè coniicimus, scilicet & Albi & Visurgi vsque ad vetus Rheni ostium, Fleuum, in quod Rhenum effundi à Septentrionibus Plinius commeminit. Non sum nescius, insulas non tantum quas sterni dicit inter Helium ac Fleuum, sed ipsa hæc ostia vel maximè perquiri; nulloque adhuc certo radio designari. Id quod in illa fluctuum & ventorum procella, dicam an Oceani fatali malo, solens & perpetuum est: cum vbi modo solum, istic mox salum dominari, & contra, experiantur incolæ.

Fleha & Fleuus fl.

Fresones vsque ad Fleha fluuium Christi religionem relinquere compulit. Malim hic Lector Gerardum Nouiomagum, quam arbitrum me recipi vel audiri. Fleuus is fluuius à multis putatur, qui inter Staueram & Enchusiam fluit. Legitur autem in vita S. Odulphi (qui Luduico pie regnante vixit) prædixisse circa Staueram oppidum, ingentis molis saxum, quod ante domum Sancti iacebat, absque humano opere in fluuium Flee deuolutum iri, rursusque emersurum, quæ quidem loci & fluminis adiuncta apud Surium omissa videas. Addit etiam in chartis Nauticis sua ætate Nautas Flee dixisse flumen id, quod inter insulas Flielandiam & Scellingiam decurrit.

c.8. vel 9.

Iam vide genus persecutionis, quam Adam ex S. Willehadi memoria repetit. *VVidukind persecutionem mouens in Christianos, Francorum terminos vsque ad Rhenum (& Rheni ostia) vastabat. In qua persequutione discipuli VVillehadi sancti quidam Bremæ, quidam per Fresiam, ceteri trans Albiam, passi leguntur.*

AD CAPVT XVIII.

FOSETESLANDIAM INSVLAM CONVERTIT.

Vita S. Swiberti cap. 7.

HANC S. Wigbertus adiisse scribitur, & sanguine suo consecrasse sub Radbodo, quia eius suasu Christiani simulacra Fosetes Dei & Iouis subuertissent. An autem Insulæ nomen contigerit, ab illo ipso falso Deo, an à Fosorum gente, quæ Chaucis vel Frisiis finitima celebratur, à Tacito, dispiciant eruditi. Describit eam Adamus nomine Farriæ, longo recessu latentem in ostio fluminis Albiæ, frugum feracissimam, scopulis licet asperrimis inclusam, volucrum & pecudum nutricem, vno tantum aditu, quo dulcis aquæ

lib. de moribus German.

Eccles. hist. cap. 210.

vena

vena ſeſe offert; vnde nautis & piratis , amicum & gratum dediſſe portum ac ſeceſſum : & nomen inueniſſe ab hac beata rerum copia vt Heiligland appellaretur. *Hanc* , ait ipſe , *in vita S. VVillibrordi Foſetisland appellari didicimus, quæ ſita eſt in confinio Danorum & Freſonum* Rectè habet, Magnum hic Alcuinum haud incerti nominis prædem rogari, qui in vita S. Willibrordi ipſum ad inſulam hanc tempeſtate adpulſum ſcribit , quæ à Deo quodã ſuo Foſite ab accolis Foſiteslandt dicta fuerit, & ob violatam gentis religionem, nomen Willibrordi ad regem Radbodum delatum. Inde ſortitione facta, vnum ex ſociis Diui, ſorte monſtratum, affectum martyrio. * Quam narrationem ſuſpicatus aliquando ſum in vitam S. Suiberti translatam, quæ ſpecioſo magis Marcellini autoris titulo, quam perſonarum, temporum & locorum adiunctis ornari videtur. Difficile autem ſit hariolari, quæ veternoſo huic Dæmonio Foſeti auxiliandi vis extiterit, cum Tertullianus in Apologetico bene notarit apud Paganos vnicuique Prouinciæ & Ciuitati ſuum fuiſſe Deum, vt Syriæ Adſtartem, Arabiæ Dyſarem, Norici Belenum, &c. addo cultum Saxonibus ſuum Krodo, quem hodieque ſine deteſtatione haud nominant Iodute, Heram, Irmenſuel.

Foſite vel Foſete Deus.

** An hic VVicbertus?*

Dij Prouinciarum & Ciuitatum.

Krantz lib. . Metrop. c 3. Saxon l. 2. c. 9 & 12. lib. 5 c 36.

AD CAPVT XIX.

S. Ludgerus Nortmannos & Hyperboreos, id eſt ſupra Danos, Noruuegos, alioſque remotiores populos cum Euangelij cauſa luſtrare parat, à Carolo iniecta quaſi ſecuri, retractus & impeditus eſt. quod in editione noſtra, Dum illi Rex Carolus hoc non concederet. Iam vide Surij παρόραμα, vnde æſtimes quanti ſit, emendatis & melioribus exemplaribus vti , cum ad marginem adſcribit. *Rex Nortmannorum, quos hodie Noruegos vocant, non admittit S. Ludgerum.* Nam cum in VVerdenenſium libello tacitum regis nomen præteritur, interpretatus ille eſt, de rege Nortmannorum

AD CAPVT XX.
& ſequentia.

Res maximè memorabiles nobis hic inuidit codex malè ab hominibus vel vetuſtate acceptus. Argumenti iacturam vtcunq; ex editis cõpenſare licuit, ac hiſtoriæ nobis dijudicatio cognitioq; prorſus adhuc negata, quando ſine hac tabella, iudices ſedere, vel ſententiã dicere, nequeamus. Momẽta tamen rerum ferè hæc ſunt.

WERDENA CONDITA.

WERDINAM & VVerthinam, imò Ruram hanc Abbatiam inditam famâ, à fluuio cui adiacet, ſæpe nominari memineris.

VVerdinensis Monasterij situs. Visitur in Collimitio Marchiæ & Montensis Ducatus Coloniensi Diœcesi, ad radicem montis, qui fluuio imminet, basilica, oratorijs & annexo oppidulo pulcra, amnis quem egregio quoq; ponte iūgit oportunitate spectabilis. Hunc locum, nemore, salicetis, & alia asperitate incultum sterilemq;, vbi Sancto placere, Deo monēte, cœpit, eiusdem ope & mirifico fauore, hic legimus, sponte velut de cœlo facta arborum strage cessisse Dei cultoribus & S. Ludgero; cui, *Area loci superne monstrata.* areæ huius vestigium supernè monstratum erat, annis fermè nouem ante oblatum ipsi Episcopatum; circa salutis annum, vt arbitror equidem, * DCCLXXIX. ** al 777.*

Hic Monachis perpetuam esse stationem, sibi à funere quietem æternam, extra templi quod moliebatur, adyta, parari voluit. Quare & vita functus, non intra templi penetralia, quod vetuerat receptus est, sed ibi tectus humo, vbi longe ante prædixerat, signatè, se tumulandum. *S. Ludgeri sepultura extra templum.* Datum tamen eius venerationi, quæ ob crebra miracula magnos hominum concursus exciebat, vt primum ampla porticu defuncti corpus tegeretur, & tādem intra nouæ basilicæ septa, quomodo nunc fere cernitur, in crypta, conderetur. Iuuat inclitæ sedi & hæresis iniuria non parum obfuscatæ nonnulla literis digna monumenta asserere, quæ VValafridus Strabus olim hic statim à morte S. Ludgeri surgenti Basilicæ ex ingenio suo contulit, locique obliterata prope incunabula, styli immortalitate consecrauit. *Tom. 6 antiq lect.*

IN ECCLESIA MONASTERII QVOD RVRA VOCATVR.

Hoc templum Stephani celebratur honore dicatum,
Cum Iacobo nostri fratre simul Domini:
Quorum sub precibus Christi pietate receptis
Summi adipiscamur munera larga boni.
Hildigrim struxit, Hadabaldus Episcopus Archi
Sanctificauit; honor certus vtrimque manet.

HIldigrimum agnoscis fratrem S. Ludgeri, de quo postea. Hadabaldus Agrippinensis Archiepiscopus est, sub Luduico pio lib. II. capitul. Franc. c. XXIV. inter Missos dominicos celebratus. Eiusdem Strabi epigrammata extant Tom. VI. antiquæ lection. quibus Grimaldo Abbati templorum Dei genitricis & Apostoli Petri tribuit instauratos honores, eodem tempore: Ioannes Cincinnius carmen etiam vulgauit Vflingi Monachi de VVerthinensis loci laude. Krantzius in * Metropoli huius monasterij originem attingens, ait S. Ludgerum id ex facultatibus patrimonij sui ædificasse; veteres, permutatione agrorum, tradunt fundum acquisiuisse. *Miserabiliter* ** lib 1 c. 5.*

biliter collapsum sua ætate, idem meminit; *sed per reformationẽ egregiè instauratum*: quod vtinam & mihi post multas disciplinæ ostensiones vsurpare liceat Patrimonia nobili monasterio, in quo S. Ludgerus *diem se nouissimum exspectaturum* numine afflatus prędixerat, obtigere sanè quam amplissima. In quibus Helmstadiũ oppidum medio Brunswigam inter & Magdeburgum itinere, quod Academia nunc excultum, olim à Carolo Magno aduersus Sorabos & Vilsos bella gerente donatum S. Ludgero, munitumque fuisse perhibent, vt proferendæ fidei Christianæ tutum istic receptum haberet. Sed ex Dietmari probato Chronico, Helmstadium cõstat domicilium fuisse religionis *& à Monachis inhabitatum, quibus locum eum Ludgerus*, ait ille, *propietate suá construxerat*, tempore Caroli Imperatoris magni. Tradunt inde circa annum MCCCXC. nobilem hanc possessionem alienatam, & VVilhelmo siue Henrico Duci Brunswicensi seu beneficiario iure traditam; cum loci incolas pristinorum Dominorum iam fastidium cæpisset. Vnde non falsè magis, quam verè Krantzius de Helmstadiensibus in Metropoli sua scriptum reliquit, cum Ranæ regem contempsere ignauum, accepisse pro illo Ciconiam regem.

Helmstadium oppidum olim VVerthinensis Abbatiæ.

MIMIGERNAFORDENSIS ECCLESIA.

LOCVS, vbi Monasterium ciuitas sita iam est, Mimigarnaford Saxonum populis appellatus, quod, vt originis incertæ, sic varios in sonos posthumi flectunt, & distorquent, vt Mimigardã & Mimigrodã vocent. Adhæsisse diu huius loci Episcopis, & duob. hinc amplius sæculis valuisse, publicorũ actorũ fide, & diplomatũ vel synodorũ, & sigillorũ episcopaliũ inscriptionibus, doceri queat. Sciscitantur quando, & cuius Monasterii nomine tandem permutari cœperit? coniecturis responsio niti videtur, vt ἐπιχλῶ & ἀπορίαν facile ferat. Celebris hic & à Krantzio in literas relata, an & à maioribus accepta sententia, quam * Annales Collegij Societatis IESV probasse videntur, cum de ciuitatis huius origine strictim meminerũt. Nempe à Monasterio temploque quod Hermannus Episcopus inibi sacrauerat, construxeratque, cognomentum vrbi venisse & conuenarum frequentiam. Krantzij expositio hæc est: Hermannum primum eius nominis, virum industria & religione insignem, consecrasse & instituisse *Ecclesiam & Monasterium trans Aquas, Sanctimonialium, in titulum & honorem B. Mariæ Virginis*, quod ita breui excreuerit, adeoque factum sit celebre, vt nomen dederit ciuitati &

Mimigernaford nomen quando Monasterio mutatum.

** Romæ à P. Francisco Bencio conscripti.*

lib. 4. Metrop. c. 14. & l. 1. c. 5. Monasterium Virginum trãs Aquas.

Episcopo; ita, vt paulatim Mimigardeuordensi, veterum abolito vocabulo, incæperit dici Monasteriensis & Ciuitas & Ecclesia. Quin & in Episcoporum Monasteriensium catalogo disertè ponit, iam inde ab Hermanni ætate, quæ sæculum Christi decimum excepit, vsum obtinuisse nouæ appellationis. Ego in his & similibus, vt non valde superstitiosus, ita nec nimis propensè credulus, inuenirer, hac de re plurium sententiam exquirendam, putaui. Nam, cum S. Swibertum maiorem ætate Ludgero, scirē Bructeros & Lippiæ fluminis accolas, & ipsam Mimigardam Euangelij luce collustrasse, nō dubitabam, illū discipulis ibi Christianis Ecclesiam tāquam scholā apertam habuisse. Quin & B. Ludgerum cum Ecclesia Clericorum mansionem istic & cętum sibi parasse; quod genus, cum fere Monasterij nomē passim in veteri memoria tueatur, potuisse tam ab hoc, quam alio quouis, q, cleri domicilium primarium censeretur, id nomen apud vulgus conualescere, & in ipsam deniq; ciuitatem transferri; præsertim cum templi B. Virginis molitionē sciam & ad annū fere MXLI. reuocari, animaduerterem. Sed in hac controuersia manum potius traditioni porrigam, & in eorum ibo sententiam; qui Templum, quod diximus, sanctæ Dei Genitrici sacrum, omniū extitisse volunt eius loci antiquissimū; atq; in eo, vt acta vitæ produnt, S. Ludgerum ex oppido vicino Billerbeha translatum, à morte depositum. Quod autem Hermmañus primus eius Ecclesię conditor laudetur, id eū accipere sensum, vt ædem ampliorem spatijs laxatis exstruxerit, & addito Virginum nobiliū Parthenone ornarit, & basilicam hanc primariæ ciuitatis Parochiæ seruire voluerit; in cuius penetralibus augustum tamen relictum est oratorium, Depositionis S. Ludgeri memoriam retinens, cui & Ierusalem nomen fuit.

Ecclesia B. Virginis amplior exstructa.

In ea S. Ludgeri sacellum.

AD CAPVT XXXII.

S. Ludgeri scripta monumenta.

SVRIANA editione capite XXXI. ad doctrinam, scripti à S. Ludgero libri recensentur & opuscula. Vt: *Vita S. Bonifacij supplementum ad libellum, qui de eius Passione extabat, nempe de primordiis vitæ, aduentu & ordinatione*; quæ quidem in B. Gregorij vita iam à nobis edita, attinguntur, verius quam plenè scribuntur. Item *libellus de vita quondam suorum doctorum Gregorij & Albrici*; quem intelligi hunc nostrū reor; etsi Alberici acta seorsim conscripsisse, appareat. De Epistola vero S. Ludgeri, quæ de leuatione S. Suiberti, Sāctitatis approbatione, Leonis Papæ in Franciam aduentu apud Surium Tom. II. extat, etsi ægre adducor, vt censeam, ne publici iam vsus autoritate receptis, manus afferre videar; character tamen ipse dictionis, & narrationis

tionis modus non expers anistoresiæ, Epistolam illam facile ream peragant momentariæ possessionis, insuper habita præscriptione tituli.

AD CAPVT XXXIII.

EIvs argumento M.S. Wertinensi duo adtexta miracula. Alterũ, quod prædio Welde, nunc VVelderhofio, ad riuum Arnapã hodie Aerst, supra Nouesium, colonus de Anscium populatione apud Sanctum conquestus, & eos per iocum arctius includere iussus, sic morigeros habuit, vt in caueam vltro congregati & pace S. Ludgeri impetrata, arua, quę infestauerant, vltra nunquam adierint, nedum depasti sint. Alterũ Dęmonis Aquatici, quibubus aratro iunctis sese assotians, rusticum opus in diuersa sulcis actis dissipabat, sed S. Ludgeri nutu detectus, vel vno die triginta dierum arationem explere coactus est.

AD CAPVT XXXIV.
Mors & suprema S. Ludgeri.

HILDIGRIMO fratri funeris & sepulturæ curam mandari voluit. Is Catalaunensis tum Episcopus, inde operum à S. Ludgero inchoatorum perfector, Halberstadiensis Ecclesiæ Cathedram morum innocentia mirè exornauit. Etenim, cũ apud Ostphalos, id est, Orientalis Saxoniæ populos trans Albim Carolus, nobilem Ecclesiam S. Stephano in loco Salingenstede exstruxisset & fundasset, eius Ecclesiæ patrimonium Luduicus filius Halberstadium transtulit; ibiq; Hildigrimo primo Episcopo cathedra assurgere cæpit. Porro Hildegrimus in Rhytmica vita S. Ludgeri Northuringorum populos circa Helmstadium Euangelij luce collustrasse dicitur.

Hildigrimus S. Ludgeri fr.

Ostphali. Northuringi.

NE IN ECCLESIA HVMANVM CORPVS SEPELIATVR.

S. Ludgerus de modo sepulturæ suę propria mandata dedit. Primũ Monasterij in sui nunc nominis sacello, quod inclusum tẽplo B. Virginis, deponi voluit. Inde trãsferri ad VVerthinam Monasteriũ à fratre Hildigrimo. Ossium legendorũ esse signum iussit, profluentem ex iam dudum defuncti naribus sanguinem: sepulturæ locum præ foribus Basilicæ, vel religionis ac modestiæ, vel exempli causa, penetralia declinans, intra q̃ tamen, vt diximus, tandẽ receptus est.

S. Ludgeri mandata de sua sepultura.

More prisco non basilicas, sed cemeteria constat fuisse humãdis corporibus; quæ, maioribus Ecclesiis XL. pedum cõcedebantur, minoribus triginta, vt Canon interpretes ad T. de sepulturis in VI. & I.C. de religiosis & sumptibus funerũ, & de sepulchro violato. Inde

Sepulcra olim in caemeteriis non in templis.

obtinuit, vt Pontifices & Reges seu Basilicarum conditores tantum intra templorum parietes reciperentur. Et queruntur eruditi, sacrosancta terrarum sola, quæ, par sit, nitere munditie & puritate, per vilium capitum funera, quæ se in adyta quoque templorum insinuant, quodammodo infuscari, & ex sacrariis fieri polyandria, & busta mortuaria.

GERFRID VENERABILIS IVVENIS S. VIRI NEPOS.

CAPVT XXXV.

HVNC Presbyterum & Successorem S. Ludgeri, vocarũt VVerdinenses. Extollit in eo Krantzius virtutum & miraculorum gratiam. Et quia in clausula vitæ, & Fratrem & hunc Nepotem mentio fit in VVerdina S. Ludgero voluisse tumulo sociari, eorum hic iuuat edere parentalia, quæ, cum ante multos annos in Basilicæ cryptoporticu horum memorias supplex venerarer, istic excerpsi.

EPITAPHIVM S. LVDGERI PATRONI WERDINENSIS.

HAs qui Cœnobij Ludgerus condidit ædes
Mortuus hac tumulum corporis æde tulit.

Extabat ibi adnotatio Chronica, sed vt saxeorum tumulorum adparatus, ita & hæc mihi visa à recentiore manu deprompta.

S. Ludgerus Protoepiscopus Monasteriensis: Principalis fundator huius loci à Deo circiter annum salutis DCCLXXVII. sibi ostensi, quieuit in pace, idque in Billerbech, anno DCCCXXIX. * *VVerdenæ sepultus.*

* alibi 809.

EPITAPHIVM HILDEGRIMI PRIMI HALBERSTADENSIS EPISCOPI.

IVlI terdecimi resolutus carne calendis
Hildgrimus tumulo clauditur apposito.
Frater Ludgeri Coepiscopus atque beati
Compar huic meritis, sicut in officijs.

De

De hoc reperiebam in perantiquo M S. Chronico. Anno Domini DCCCXVII. Luduici XIIII Hildigrimus primus Halberstadensis Episcopus obiit; eique Thiatgrimus successit. At Ditmarus in suo Chronico, magna cum honoris significatione de Hildegrimo loquens, aliam temporis rationem secutus est, nisi esse editionis hoc mendum, reputemus. *Ludgerus Frater Hildegrimi Cathelaunensis Episcopi, sanctaque Halberstadensis Ecclesiæ Rectoris primi, quam tenuit XL. & VII. annos, discedens ab hoc sæculo. regnante tunc Luduico Imp. pio. Dominicæ Incarnationis DCCC XXVII. anno.* Ceterum Ciuitas Catalaunum in Campania Belgicæ II sita (Chalons vulgo) Matrona flumine interluitur, paretque Metropoli Rhemensi; & Hildegrimum Ecclesiæ suæ numerat Episcopum xxxi.

EPITAPHIVM GERFRIDI II. MONASTERIENSIS EPISCOPI.

Gerfridi patris tumbam venerare, fidelis,
Cuius apud Dominum forte viget meritum.
Idibus Septembris persoluit debita carnis
Deponens massam pridie corpoream.

EPITAPHIVM ALTFRIDI III. MONASTERIENSIS EPISCOPI.

Altfridus tumulum Præsul sibi vendicat istum
Pneuma Creatori, dans cinerem cineri.
Obijt in decimis Maij Pater iste Calendis,
Cuius nos sacris protegimur meritis.

Obiisse volunt anno DCCCXLIX. XX. April.

EPITAPHIVM THIATGRIMI SECVNDI HALBERSTADENSIS EPISCOPI.

Hac recubant fossa Thiadgrimi Præsulis ossa.
Terra tenet corpus, pneuma fouet dominus.
Idibus in Februi senis, obit assecla Christi
Promeritus vitæ gaudia perpetuæ.

M S. Chron.

Thiatgrimus Episcopus constituitur in Halberstat, Anno Christi DCCCXVI. Is præfuit annis XV.

L L.

LIBER SECVNDVS

MIRACVLA continet edita post obitum Sancti. Monui in editione Suriana præposterè datum proœmium huic libello, quod vetus M.S. codex Fuldensis in primi libri frontispicio posuit. Liquet hic etiam Surium sponte librum hunc truncasse, cum in IX vel X miraculo manum subduxit, vt ipse profitetur, breuitatis studio.

Lemmata numerosque capitibus, quæ in M S. desiderantur, indidimus.

AD CAPVT XXIII.

An duo SS. Ludgeri?

AN hoc Ludgeri nomine duo Sancti: hic noster Episcopus & Confessor; alius qui Martyr? Id manifestè hoc miraculo adstrui videtur. Sed cum omnia circumspicio, vocem ambiguam homini peregrino obiectam arbitror, quæ affinitatis specie ei facile imposuerit: vt in Liutger, & Leodegar liquidè perspicitur. S. Leodgarij Episcop: Augustodunensis inclitum Martyrium fuit; cum is in Atrebatum ditione, capite cæsus ab Ebroino tyranno Maiore domus, Villa Sercinia memoriam obtinuit, regione Artesiæ; anno vt Molanus annotauit DC LXXX▼. secunda die Octobris; vt alij, anno DCLXXII. qui, triennio post, DC LXXV. Ebroinum perijsse volunt.

S. Leodgarius Augustodun. Ep. & Mart.

AD CAPVT XXVI.

IN digressione ad miracula sequioris ætatis vbi vnus exprimitur DCCCLIV. MS. VVertinense ad oram marginis sic habet. *LXXIIII. quando scilicet obijt Hyldegrimus iunior.*

AD CAPVT XXXII.

ADALGARIVS hic venerabilis Abbas, inter antistites nouæ Corbeiæ celebre nomen habuit. Ex eius manu amictum asceticum S. Reimbertus Archiepiscopus iam ordinatus Bremensis accepit: & huic muneris consortem addidit Adalgarium alterum; qui eius inde lectus successor. In hanc autem reliquiarum ex Gallia translationem, cuius hoc capite mentio fit, adhuc inquiro.

Porro & hanc ipsam Miraculorum enarrationem quando cum MS. VVertinensi comparare cœpi, interpolatam à posteris deprehendi, & verbosius expressam. Ita quo longius à fonte disceditur, latius riuos videmus exspatiari.

INDEX.

INDEX MARGINALIBVS NOTIS, ET IPSI CONTEXTVI RESPONDENS.

A.

B.

C.

D.

S. Pyr-